Cichovii Nicolai S. J. Epistola paraenetica.

(1635).

EPISTOLA PARÆNETICA

AD

Generosum Dominum

IONAM SCHLICHTING

De Bukowiec.

V. C.

Eius Epistolæ Apologeticæ Reddita.

CVI

Addita est Harmonia Fidei Catholicæ, cum Fide SS. Patrum Primitiuæ Ecclesiæ.

A

Patre NICOLAO CICHOVIO

Societatis IESV.

Facultas Rndi Patris Præpositi Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Polona.

DVo Patris NICOLAI CICHOVII Societatis IESV Opuſcula: quorum alterum *Epiſtolam Paræneticam* continet; alterum, *Harmoniam Fidei Primitiuæ Eccleſiæ*, cum præſenti Catholicæ Eccleſiæ Fide exhibet, ab aliquot Theologis, quibus id commiſſum fuit lecta, & approbata, edi in lucem, poteſtate mihi, ab Adm. Rndo P. Noſtro GOSVINO NICKEL, Sotietatis Noſtræ Præpoſito Generali conceſſa, permitto. Modo per eos, ad quos pertinet liceat. Cracouiæ 19. Septembris, Anno Domini 1655.

Staniſlaus Ierzykowic
mp.

Approbatio.

EPiſtola Parænetica, pro vera Diuinitate Filij Dei, Patri ſuo coæterni, Catholico ſenſu & zelo ſcripta, vt publicam videat lucem, permitto; & per Sociniſticas tenebras oberrantibus, vt lucem ferat, eoſque ad gremium S. Romanæ Eccleſiæ, quæ ſola Catholica & Apoſtolica eſt, pro voto Authoris perducat, ex animo cupio. Anno Domini, 1655. Martij 19.

Hyacinthus Liberius, S. Th. D. Præpoſitus SS. Corporis Chriſti Can: Regul. Cenſor librorum.

Admodum Reuerendo Domino,

D. PETRO STANISLAO SMOLICKI,

S. Th. Doctori, Canonico Scarbimiriensi, Praeposito Neocorcinensi, Paraeco Dzierzanensi, &c. Domino & Patrono plurimùm obseruando.

Calamitatum Regni Poloniae, quae ei, omni ex parte, diluuialis instar inundationis, incubuêre, primam & potissimam esse causam, multiplicem ab auita Maiorum Nostrorum Religione apostasiam; aequissima est, Orthodoxorum omnium sententia: Admodum Rnde Domine: Domine & Patrone plurimùm obseruande. Haec nimirùm illa est, quam in extremum Regni Poloniae excidium tandem exituram, primo eius ortu, praesago, & propemodùm Prophetico spiritu, Illustriss: & Rndiss: Antistites, Hosij, Karnkouij, Solikouij, Zebrzydouij, Cromeri, & è Venerabili Praelatorum Ecclesiasticorum Collegio, Ostrouij, Przewodouij, Orzechouij, Dobrociescij, Lilij, Herbesti, & è

nostra minima Societate Skargæ, Vuiecij, Smiglecij, Lascij minitati sunt. Experimur infelices, pijs, hisce Diuinæ vindictæ præconibus, magno Reipubublicæ damno negatam fidem. Quæ, (refrigescente fidei ardore, conscientiæ monita non morati) diuturnâ conniuentiâ fouimus, per ea perimus: meritò vt quis, vicinarum gentium quærenti alicui: Quare sic fecit Dominus terræ huic; quæ est hæc ira furoris eius immensa: *Meritò,* inquam, *quis responderit; quod in simili causa responsuros Israelitas prædixerat; aut Moyses: Deut: 29. v. 25.* Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum Patrib⁹ eorum, *aut Salomon 2. Par: 7. v. 22.* Quia dereliquerunt Dominum Deum Patrum suorum, *amplexi nimirùm* nouos recentesque deos *(Deut: 32. v. 17.)* quos non coluerunt Patres eorum. *Deferbuit ille Polonorum ignis: quo quondam æstuantes, Euangelij propugnationi, sua se colla, impensuros, intra eius lectionem semieducto è vagina gladio testabantur. In postremis habitæ, Diuinæ iniuriæ: nihili fuère, iactæ in*

Sanctos

Sanctos Poloniæ Patronos, in Sanctissimam Deiparam, in Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, in-que ipsam Sacrosanctæ TRINITATIS Maiestatem blasphemiæ. Quo pretio; quo fructu; iam videmus.

Faceret vtinam Deus, vt vel hæc, iustissimæ eius indignationis virga tantopere nobis inuigilans, oculos eorum, quibus hactenus, fidei & Religionis studium intra curas postremas fuit, adaperiat: animosq́ ad auitam Patrum suorum fidem, constantiùs, feruentiusq́ tuendam exacuat. Cui proposito; ne meus quoq́ cuicuimodo labor desit hoc ipso tempore, quantumuis exul, edo in lucem libellum: quo, vnâ eâdemq́ operâ, cuiusdam Socinianorum Scriptorum antesignani Epistolæ respõdeo: & eundem, aliosq́ Heterodoxos, ad benignissimũ, S. Matris, Catholicæ Ecclesiæ gremium, inuito. Exiguum fateor opusculum: bonis tamen mentibus, veritatisq́ studiosis, non parum lucis, ad eius agnitionem allaturum.

Quantillumcunq́ verò est, libuit illud, Adm. Rndæ Dñationi, Onomastici inuicem vinculi, intra festiuum

S. Stanislai octiduum offerre: tum ad diu debitam, ob beneficia in Collegium Calissiense, nostramq; pauperem Domum Professam, meq; ipsum collata, grati animi tesseram aliquando exsoluendam; tum ob venerationem doctrinæ; quam Bononiensis Academia Doctorali pileo annuloq; venerata est: quamq; prudentissimus Senator, & rigidus solidioris literaturæ Censor, Iacobus Zadzik, Episc. Crac. Regniq; antea Cancellarius, tanto habuit in pretio, vt eam, in grauissimis Ecclesiæ & Reipub. negotijs, in altissimorum consiliorum societatem accerseret: tum deniq; ob feruidum propagandæ fidei Catholicæ zelum: quo incendente, A. R. D. mihi ipsi ad refellendos Arrianorũ errores frequens erat author: & incentor: etiam impensis, prolixâ & spontaneâ voluntate oblatis. Deus tam munificam remuneretur mẽtem: & quàm diutissimè conseruet incolumem, faciatq; ita vt sui Pastoratus exigat dies, vt, ad promissum, à suo Cognomine S. Petro, bonis Pastoribus stipendium (2. Petri 5. ℣. 4.) *immarcescibilem gloriæ coronam à Principe Pastorum percipere mereatur. Ad Wieliciam, in Conuentu RR. PP. Min: strictioris Obseruantiæ.*

Admodùm Reuerendæ Dominationis

Minimus in Christo seruus

Nicolaus Cichouius.

Societatis IESV.

Errata grauiora Typi.

Fol: 5. ℣. 19. reſiſterint C reſtiterint.
℣. 25. Sunodo C. Synodo
Fol: 6. ℣. 20. PP. C. P. Petrum
Fol: 7. ℣. 4 dignatus C. dignatur
℣. 5. quid C. quòd
℣. 11. Iudæo C Iudæos
℣. 29 certum adde punctum
Fol: 8. ℣. 18 queretur C. quereretur
Fol: 9. ℣. 21. ſi C. & ſi
Fol: 2. ℣. 5. vtile C vt ille
℣. 10. meminiſſet C. meminiſſe
℣. 21 Tunianus C. Turrianus
℣. 27. viuum C. vnum
℣. 31. in eſſe dele in
Fòl: 12. ℣. 10. perſuaſuſque dele que
periculum C piaculum
℣. 15. Herculis C Herulis
TRINITATIS adde honore
℣. 17. victorem C. Victorem
℣. 20. houam dele
℣. 31. ſacrificis C. ſacrificij
Fol: 13 ℣. 6. vel dele
℣. 9. Souitus C. Filius
℣. 15. Nam C. Num
℣. 27. tum C. eum
Fol: 15. ℣. 18. dixi adde :
Fol: 16. ℣. 9 εξ οχλω C. ἐξοχλω
Fol: 17. exceſſeris C. excuſſeris
Fol: 18. ℣. 31. Theodori C. Theodoti
Fol: 19. ℣ 2. iniurius C. incurius
Fol: 20. ℣. 28. conſeruant C. conſeruat
Fol: 21. ℣ 24. εδελοθειστικιας C. εθελο-
τξησκιας
Fol: 22. ℣. 15 iierit C. iuerit
℣. 31. videndam adde punctum
Fol: 24. eſt adde :
Fol: 25. ℣. 29. futuro C. futura
Fol: 27. ℣. 3. requieſcet C. refrigeſcet
℣. 4 Tyrranorum C. Tyrannorum
Fol: 29. ℣. 6. diſertæ C deſertæ
Fol: 30. ℣. 16 cauſa C. cauſæ
℣. 20 & C vt
℣. 29. repugnates C. repugnatis

Fol: 31 ℣. 15. oculis C. oculos
℣. 21 etiam C eam
℣. 23. iniuriam C. incuriam
℣. 28. flumine C. fulmine
℣. 29. perſequitor C. perſequutor
Fol: 32. ℣ 30 ſummæ C. ſummè
Fol: 33. ℣. 21. ſponſum, dele comma
Fol: 34. ℣. 7. feci adde in
℣. 25. mirati C. morati
℣. 26. eiuſque C. eiſque
Fol: 35. ℣. 19. qq. C. Qu.
℣. 26 creditorum C. editorum
℣. 27 prætendis C. prætendes
℣. 30. dele &:
℣. 31. Socinis C. & Socinis.
Fol: 36. ℣. 4. quantum C. quantam
℣. 14 appetione C. appetitione
Fol: 38. ℣. 2. olla adde :
℣. 14. timeas adde punctum.
Fol: 43 ℣. 8. tali C. tibi
℣. 14, docet C. decet
Fol: 44. ℣. 13. vt illi adde comma
Fol: 45. ℣. 3. 2 C. 21.
Fol: 46. ℣. 2. appellantur C. appellatur
Fol: 47. ℣. 18 gencium C. genitum
℣. 23. & C. eſt
Fol: 50. ℣. 5. θις C. διs [illegible]
℣. 18. Monarchicerum C. Monarchi-
Fol: 52. ℣ 3. omnibus C. Nominibꝰ (corũ
Fol: 53. ℣ 20. in Patre dele in
Fol: 54 ℣. 26. Antonium Primum C. Antoninum Pium.
Fol: 55. ℣. 17 verbum C. Verbum
℣. 23 Spiritum ſanctum adde potentia quidem vnitos.
℣. 27. & lux C. vt lux
Fol: 57 deleatur Parentheſis
Fol: 58. ℣. 15 teſtabitur C. teſtabatur
Fol: 59. ℣. 7. cecidit C. recidit
℣. 11 habentem C. habentes
℣. 21. toties C. totis
Fol: 60. ℣. 17. conſumari C. conſummari
Fol: 61. ℣. 14. paratus C. paratos (lis
Fol: 63. ℣. 4. intellecturalis C. intellectua-
℣. 24.

℣. 24. οικομίας C. οικονομίας
℣. 32. vnius C. vnicus
Fol: 64 v. 5. Iudæ C. Iudæi
Fol: 65. ℣. 12. dignum C. indignum
℣. 19. eo C. ex eo.
Fol: 66. v. 6. Abſit adde punctum.
Fol: 67. v. 25. demonſtrabo; C. .
Fol: 68. v. 1. Et C. Ex
℣. 14 Patthmi C. Pathmi
℣. 29. G. Domino C. G. Domini
℣. 30. decantanti C. decantati
Fol: 69. ℣. 21. cæpiſſet C. cepiſſet
Fol: 70. ℣. 1. fabrificauit C. fabricauit
℣. 5. ieiunium C. ieiunum
Fol: 71. ℣. 1 docetur adde punctum
Fol: 73. ℣. 8. idem eſt, adde; magnum Sacramentum eſt.
℣. 10. hominis adde totius iam
℣. 11. cooptato C. coaptato
℣. 13. dele, eſt, & comma
℣. 19. expolians C. exſpolians
℣. 31. & cœleſti C. ex
℣. 33. Deum, adde: totum Deo (homouſion)
Fol: 74. ℣. 1. ſubſtantialem C. Conſubſtantialem
Fol: 75. ℣. 2. ſcorpiaco C. Scorpiaco
℣. 10 Zenonis, adde verbis
℣. 13. Tinius C. Tyrius
℣. 14 Hypapanſen C. Hypapanten
℣. 19. Seraphicum C. Seraphicorum
℣. 26. eſſentiæ adde eſſe
Fol: 75. v. 3. circumuèxiſti C. circũcinxiſti
℣. 8. circa C. citra
℣. 12. euoluit adde punctum
Fol: 77. v. 4. hominibus adde verſatus
℣. 6. vnum C. Vnum
℣. 8. volueritis C. ſolueritis
℣. 11. verbum C. verum
℣. 31. noſtri adde :
Fol: 78. v. 7. Pantelius C. Pamelius
℣. 17 & C. ei
℣. 25. ſuæ C. Euæ
Fol: 80. v. 28 calamum? dele ?
℣. 32. poteſt adde :
Fol: 81. v. 1. quia C. quâ
℣. 24 & C. vt
℣. 21. dele eſt
Fol: 82. v. 5. Magnum C. Magum
℣. 9 affirmantis C. affirmanti:
℣. 18. Ægeſippus C. Egeſippus
℣. 31. ſugillat C. ſuggillat
Fol: 83. v. 15. an C. à
℣. 22. dele videant.
Fol: 84. v. 2, cum C. eum
℣. 13 tergiuerſorũ C. tergiuerſationĩ
℣. 14. Allogiani C. Alogiani
Artemone C. Artemonnè
℣. 21. perfectione C. perſecutione
Fol: 85. v. 8. pernegantis, adde comma
℣. 19. abnegationem C. abnegatorẽ.
℣. 33 veritatem C. veritate.
Fol: 89 v. 14 Filius ipſius adde;
℣. 22 dele is
Fol: 87. v. 21. cum C. cur.

Mi Lector

Ignoſce, (ſi rigidus es;) compatere, (ſi beneuolus;) Authori exulanti.

Generoſe

Generoſe Domine Iona,

Domine in viſceribus IESV CHRISTI plurimùm dilecte.

Gratia, Miſericordia, & Pax à Deo Patre, & Christo IESV Domino noſtro, Amen.

EPiſtolam Tuam, Anno 1650. à Nato Redẽptore, editam, adulto iam Decembri anni proximè elapſi, nempe 1654. obtulit mihi, G. D. Chriſtophorus Wiſowati. Quid in cauſa ſit; quòd integris quatuor annis, Cracouiam peruenire nequiuerit; etſi eo loco, ſcripta, qui ab ea vix duodenarum leucarum diſtet interuallo, aſſequi non poſſum. Erit fortaſſe, qui dicat, aliquandiu fuiſſe ambiguam, tenebriſnè ſe, præſtaret, an luci committi. Ego, luci commiſſam, mihique tandem redditam, magnopere gaudeo: per eam nimirum, aſſequutus, diu expetitam facultatem, prolixæ in te voluntatis teſtificandæ.

Feciſſet verò vtinam DEVS: ea mihi, ſcribendi, vt, à te data fuiſſet materies, quæ, vel leuiſsimi aculei neceſsitatem excluderet: neque interdum liberæ loquutionis exigeret nouaculam. Nunc, quia, ita inter incudem & malleum conſtiti, vt me, oporteat, aut cauſam DEI prodere; aut pro ea, quàm ſtudioſiſsimè dimicare; etiam atque etiam peto: ne, ſi alicubi, eâ (vt opinor) quâ debeo; tuo, fors, iudicio, maiori æquo, vehemen-

tiâ, causæ tuendæ institero; Religiosæ moderationis orbitâ censear excidisse. Veteres corporis morbos, & diu auctos, nonnisi per dura & aspera coerceri posse, authore Tacito, didicimus: experientiâ probamus. Pedi, in aculeos muricesque collapso, os ingemiscere; quis prohibuerit? Quid vnquam mitius, quid moderatius Moyse? cui tamen ipsi, Diuinarum iniuriarum dolor, non solùm grauissimam exciuit indignationem; sed & fraterni sanguinis accendit sitim? Erit ergo condonandum honoris diuini zelo: si alicubi, locutio mea, Gratiarum vultum Martio demutauerit: armaque arripuerit necessaria pietatis defensioni: quam aggressurus, vnum præloquor; assequi me non potuisse, quem Epistola Apologetica impetat. Me impeti, eius arguit initium; & folij *23.* finis. Progressus, à me auulsus, effunditur in querimoniam, quiritantem factum, cuius ego causam, nescio cur præstare debeam; culpæ exors. Testem habeo Generosum D. Wisowati: Credo Arrianorum, priùs me scripsisse: eidemque Domino, & aliquot alijs, amanuensis operâ exscriptum, Połonnij obtulisse; quam de tua Confessione, ad Regium tribunal euocanda, vel minima suspicio, per totam Wolhyniam esset. Quæ ergo æquitas est; sententiæ in se latæ inuidiam, in eum regerere; cui, à Comitiorum loco, centum prope dissito leucis, ne quidem κατ' ὄναρ in mentem venit, librum, qui ei ad refellendum porrectus esset, contumeliosis ignibus addictum iri?

Falleris Generose D. cùm me, tuæ Confessionis ad rogum damnatæ, Manes, ais, lacessiuisse. Viuam, vegetam, & veluti inexpugnabilem, perque Wołhyniam, magno vestratium plausu circumlatam, adortus sum: ne in animarum, pretiosissimo Filij Dei sanguine emptarum, exiret detrimentum.

Si ea, postea, Magno (totius Orbis iudicio) Regi; & Prudentissimo (si vnquam) Senatui, vltrices, visa est, meruisse flammas; quid ad me? Fateor, Socini, Czechouicij, Budnei, Smalcij, Ostorodi, Wolkelij, Nicolaidæ, Pyscecij, Statoriorum codi.

cõdices, eâ luce fuiſſe digniores: quod ipſum, libello, anno præcedente, patrio idiomate edito, profeſſus ſum. Doleo: Authores apertiſsimè blaſphemos; in Regnum Poloniæ, omneſque Catholicos, impudenter contumelioſos; plebeios, vel exules; impunè abijſſe: eorumque criminatrices chartas, Vulcani faces effugiſſe. Enimuerò, ſi ab eis accenſus ignis, in primo ſui ortu oppreſſus fuiſſet, non tam latè ſparſiſſet incendium: nec in eos, quos accenſæ domus Dei crimen afficeret minùs, traxiſſet ſupplicium. Nunc Roboamo expiandum fuit, quòd peccauit Salomon. Sauli crimen poſteris fuit exſoluendum. Filij dentes, ob comeſtam à Patribus vuam, oportuit obſtupeſcere: &, cùm iniquitas impleuit menſuram, delicta Maiorum immeritum luere. Quanquam immeritum dicere nequeo: cùm eam ipſam, Apologiam lego. Confeſſionem tuam, Generoſe Domine vix quidquam aut perexiguum habuiſſe, quod reprehenderetur; ais: meque Scripto Confeſſioni obiecto, veritati eius, tuæque innocentiæ teſtimonium perhibuiſſe aſſeris: graui, profectò, veritatis iniuria.

Totum Confeſsionis tuæ libellum, impoſturarum arguo: nec eum tamen reprehendo? Ridendum id, tu, non refutandum ais: ego deplorandum cenſeo.

Quid enim? ſi Perſa diceret, ſe ſoli Deo ſeruire; non Deum ſolum, ſed Solem intelligens: ſi Franciſcus Dauidis, profiteretur ſe Chriſtum venerari; ſed cultu ciuili: aut ſaltem, eo, qui Prophetis exhiberetur, non maiorem: ſi Chriſtum natum ex Virgine diceret Budneus; eo intellecto modo, quem is, à Socino hauſtum, maiore & impudentiori blaſphemia, ſuis in Nouum Teſtamentum inſeruit Notis: ſi denique Iudæus, vel Turca, ſe diceret Chriſtianum: cultoremque eius ipſius Dei quem colerent Chriſtiani; Deum ſolum, veteri Fœderi Notum, intelligendo: atque eæ impoſturæ, per me detegerentur; ridendum id tu, non refutandum diceres?

Amplius: ſi nihil Confeſsioni obiectum reprehenſibile; ſi illa

si illa pura, candida, notæ omnis expers, à me (vti loqueris) agnita; quid impugnas? quorsum ad tuam tuendam Confessionem librum meo maiorem scripsisti? quorsum, eius Manes assurgere, se vindicare, me impugnare iussi? Num ego eam rogo addixi? Ego Scriptorem indigenam, & genere Nobilem proscripsi? Deum testor, mihi id nunquam in cogitationem, nedum in vota, venisse. Eorum, qui fecerunt, tueri causam, necesse non habeo: nec illi, tam infirmo Apologetæ, creditam velint. suam ipsi rem si ex vsu fuerit, viribus, longè maioribus, agent. Nonnulla tamen carptim attingo.

I. Publica scita, quibus pax & libertas Dissidentibus de Religione sancita, an etiam Socinisticum cœtum incluserint; dubium admodum est. Non soli id Catholici, sed & Protestantium plerique negant: palàm confessi: non magis sibi, cum cœtu Sociniftico conuenire; quam igni & aquæ. Neque verò credibile est: mutuis Nobilium Fœderibus, datam libertatem, vnicuique de Deo & Christo sentiendi, docendique, quidquid libuerit. Fuere: etiam intra Poloniam: vti è Socini libris constat: qui (quod olim docuerat Cheryntus) ritus Mosaicos retinendos docerent: qui Christum esse illum ipsum Iudæis promissum Messiam negarent: qui eum propudioso conceptu dicerent conceptum: qui poligamiam suaderent: qui Scriptura reiecta, solo se rationis lumine regi vellent: qui item (vti scribit Stancarus in Apologia contra Sarnicium, & alios, A. D. 1568. edita) negarent Christum iam venisse, sed eum cum Iudæis expectarent: qui denique DEVM a Moyse prædicatum, verum esse Deum negarent: totumque vetus & Nouum Testamentum abijcerent. An ergo, Generose Domine, etiam hos, Sacrosanctis Nobilium fœderibus inclusos dixeris? Ego equidem dicere ausim, non Catholicorum solùm, & Protestantium omnes, sed etiam è vestro cœtu plerosque futuros: qui inficias ituri sint. Et tamen, quæ in sui patrocinium Generosus Dominus assumit; eis quoque assumere procliue est. Cur non enim, illi

quoque

quoque dicere poſsint: quæ à Generoſo Dño dicuntur fol: 5. *Si Chriſtianum id eſſe credam* (quantumuis totus prope mundus, hæreſim, id, clamitet) *meo iure: mea vtor libertate : fretus pace publica tot Nobilium mutuis inter ſe Sacroſanctis fœderibus, tot Regum confirmationibus, & iuramentis, tot annorum vſu, & præſcriptione munitâ. quo iure mea Confeſſio Chriſtiana dici non poſſe, in Ciuili foro pronunciatur; ſi Reſpub. meum mihi ſenſum & liberam in Chriſtiana Religione conſcientiam, reliquit : nec vllum ciuem, qui Chriſtianum ſe profiteatur, tanquam hæreticum, multò minus tanquam non Chriſtianum ſe damnaturam eſſe, tot ſanctiſſimis vinculis fidem ſuam obſtrinxit ? &c. &c.* Hæc ſi Cheryntiani, Sabatarij, Semijudaizantes, Dauidiani, Scheideliani, pro ſuarum ſectarum defenſione oggerant; cenſebiſnè Generoſe Domine, Sacroſanctis (vti ſæpe loqueris) fœderibus incluſos ? Si negas : tuum quoque cœtum ab eis excluſum, facilè, ſi, id operæ, aliô non differrem; conuicerim. Quodſi homines, quantumcumque blaſphemos (modo ſe Chriſtianos appellent) includi volueris Fœderibus Nobilium, non (vti loqueris) omnium; (cùm eis, integri Palatinatus, vt ſingulares Perſonas prætercam, cordatiſsimè reſiſterint) ſed paucorum; mirum nemini videri debebit: ſi Perilluſtris Cracouienſis Eccleſiæ Senatus, in literis Anno D. 1573. ad Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum Staniſlaum Karnkouium, Antiſtitem tunc Vladiſlauienſem, datis, diſertiſsimè decreuerit. *Per hæc fœdera, cupere Satanam, quidquid eſt in orbe blaſphemiarum, ad nos deriuare*: ſi in Synodo Petricouienſi, A.D. 1578. congregata deciſum ſit; *Fœdus hoc, reclamantibus, ordine Eccleſiaſtico, & plurimis Catholicorum, factum, eſſe cum morte, & inferno initum: contra Diuinas leges: contra Sacros Canones; contra Communes leges ſanctiſſimè inſtitutas: contra Regni, Regumq; Poloniæ ſanctiſſimas Conſtitutiones: contra rationem ipſius iuramenti in confuſionem Eccleſiæ Chriſtianæ: in perniciem Eccleſiæ & Fidelium: in finem fouendorum diſſidiorum: augendarumq; blaſphemiarum, &c &c* ſi denique ea Fœdera ſummæ authoritatis & eruditionis Antiſtites, anathemate percuſſerint: eademque

Christianæ Religionis pestem Karnkouius, *omnis religionis euersionem*, Cromerus, appellauerint.

Manifestationes eorum, qui Socinistas (vulgò Arrianos) nec iure antiquo (quod lege Corcinensi, omnes Heterodoxos proscripsit:) muniri; nec Fœderi paucorum Nobilium, per armatos Fæciales percusso, vel potiùs per vim extorto, (ita tamen, vt ei, à plurimis contradictum sit) includi, asseuerant; satis habent momenti; ad eos à dicti Fœderis, Regijque iuramenti cautionibus, excludendos. Neque enim, probare potest Generosus Dominus, Socinisticum cœtum, Henriciano Fœderi vnquam inclusum. Maiores Generosi Domini, secundum hanc viam, quam is arripuit Deo seruiuisse, persuaderi non possum: vt qui exploratissimum habeam: non aliam eos fidem amplexos, fuisse: quam quæ Polonis & Lithuanis, à suis Apostolis non scripto, sed viua voce virtute SPIRITVS SANCTI cooperante, prædicata est: atque adeò (secus, quam Generosus Dominus) credidisse. DEVM esse essentia vnum: Personis trinum. Quod à me verissimè dici, etiam Smalcius agnouit: ideoque in Concione (veriùs Satyram vel Famosum libellum dixeris:) contra PP. Skarga habita, persuadere conatus est: Poloniæ ante aduentum Triadomachorum & Socinistarum, radium, veritatis Euangelicæ, non illuxisse: omnesque hactenus Poloniæ Reges, Senatores, Nobiles, non nisi titulo tenus fuisse Christianos.

II. Quæ à fol: 15. ad 23. Generosus Dominus, pro Domo sua, Tulliano spiritu perorat; non moror. Difficile est dolori modum præfigere, silentium imponere impossibile: certè crudele. Si tamen Generosus Dominus, me fol: 15. eum esse intelligit; qui Confessionem, ceu Racouiæ editam, ad Regium concilium detulerim; grauem mihi, (vt iam probaui) infert iniuriam. Typos Racouià exactos, esse Cracouiam venundatos; non priùs, quàm Kijouia, & Oxonio, reuersus in Minorem Poloniam; intellexi: cùm multò ante Confessionis Socinianæ fucum detexissem.

III. Ca-

III. Calamitates Regni, an suæ Confeſsionis cineribus, meritò adſcribat Generoſus Dominus; viderit ipſe. Ego enim vlceri vnguem addere nolim Si tamen, is, propitijs auribus, candidam & ſimplicem excipere dignatus ſententiam; vero propiùs videretur, quid per Wołyniam, Poleſsiamque diffuſus Triadomachorum cœtus, hanc vniuerſæ Poloniæ intriuerit offam. Id quod, vt pro comperto habeam, Diuini codicis moueor oraculo. Nam, ſi, quod olim à Iudæis quæſituras gentes, comminatus fuerat Moyſes; idem à nobis quæratur; *Quare ſic fecit Dominus terræ huic? quæ eſt hæc ira furoris eius immenſa?* non melius reſponderimus, quam quomodo Iudæo reſponſuros *Deuter*: 29. ℣. 25. prædicitur; *Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum Patribus eorum; &c. & ſeruierunt Diis alienis, & adorauerunt eos, quos neſciebant: & quibus non fuerant attributi:* Confirmor Nobilis Lithuani præſago ſermone: qui mihi, Breſtæ Litauorum hoſpitanti, nullo etiamnum belli Moſchouitici imminente metu, timere ſe aiebat; ne Arrianorum, in Lithuaniam, atque adeò, in eius Magnatum aulas receptorum, eas Lithuaniam luere oporteat pœnas, quas Vcraina, & Wołhynia iam luit. An iuſtus hic fuerit metus; è ſubſequente euentu feratur iudicium. In die nouiſsimo patebit: quantum offecerit Lithuaniæ, proſcriptos Racouia, aut venientes aliunde Sociniſtas, recepiſſe: eorumque aliquos ad intima Senatus Lithuanici arcana admiſiſſe. Excludat modo Triadomachos Magno Ducatu Lithuania: excludant eoſdem ſuis aulis Principes: experientur ſingulare SANCTISSIMÆ TRINITATIS præſidium: illud ipſum: quo freti, S. Caſimiro Duce, bis milleni, Moſchorum ſexaginta millia feliciſsimè profligarunt. Sed de his hactenus: nec enim in re incerta, quidquam certi, ſtatuendum eſt. Illud certum Fundamentum, cui Generoſi Domini innititur coniectura, eſſe ſatis infirmum. Nam ſitnè rogo, ea, quam deplorat, Confeſsio, addicta; mihi non leue dubium eſt; eò quòd D. Chriſtophorus Stoini-

Stoinius, mihi Bocenicæ, de hoc funesto supplicio secum colloquenti; & quinam liber, tam ignominiosæ flammæ iniectus esset, sciscitanti; exhibuit Notas Concionis Welknerianæ: atque eas solas, exustas esse, certo certius affirmauit. Cui, vt fidem habeam: suadet exemplar Decreti: mihi è Castro Cracouiensi communicati. In eo, lego, non alium librum ad Regium Forum euocatum, communibusque Senatus & Reipublicæ suffragijs, damnatum: nisi eum, in quo Sanctissimæ TRINITATIS consubstantialitas negata, & impugnata· & CHRISTVS non æternus DEVS, sed purus re ipsa homo, assertus esset. hæc autem quomodo è Confessione colligi possint, non video: ex Notis, vtrumque concludi posse, non possum inficiari. Quæ, me, si non fallit opinio, non erat, quod per aliquot folia G. D. queretur, Confessionem exustam: si non ea, sed solæ Notæ Welknerianæ, negatæ Sanctissimæ TRINITATI Consubstantialitatis, aliorumque errorum conuictæ, flammis iniectæ sint. Atque ideò quidquid calamitatum proximè præteritarum Confessionis incendio tribuitur; ex errore fluxisse; & eapropter pro nihilo haberi, debet.

Quodsi Notæ Wolknerianæ etiam Confessionem, in supplicij societatem traxere; (siue quòd, contra legem, A.D. 1638. Comitijs Generalibus latam, impressa esset: siue quod aliquis ortus esset metus, ne quos Confessio in speciosas casses pelliceret, erroribus simul Antiwelkneri inficeret: siue quâ alia de causa:) non erat quod G. D. eam sortem quereretur, ceu summè luctuosam. Vel enim est Confessionis veritatis dubius: vel certus: si dubius; quid eam tanquam ipsissima Apostolica Oracula prædicat? si certus; cur sibi dedecori censeat, si pro veritate aliquid patiatur? Deterior longè, (si vulgi staterâ rerum momenta metiamur) excepit conditio, Nostrum R Patrem Franciscum Suarez, Magnum profectò, Orbis Christiani totius suffragio, Theologum: cuius liber, non solùm in Anglia, inter Caluinistas, sed & Parisijs inter Catholicos, contumeliosis ignibus

bus

bus addictus est. Quod ille postea, in tot, quot edidit libris, ne vnico quidem gemitu dequestus est: quin potiùs libri fortunæ inuidit: vsque adeò, vt cùm primum nuncium, eius, in duobus Regnis exusti, accepisset; carmen illud Ouidianum, vnius, alteriusúe voculæ immutatione adiectâ, inclamauerit:

Parue, (cui inuideo,) sine me, liber, ibis in ignes:
Heî mihi quod Domino non licet ire tuo.

EA nimirum veritas est: vt quos sui cognitione & amore incendit; ad quosuis cruciatus, pro se, cordatissimè excipiendos, suauissimè alliciat: potentissimè impellat.

IV. Reliquas Generosi Domini vagulationes, in quas, se, infra virilis animi celsitudinem deijcit; vt & contumelias, in me ad finem Epistolæ iactas, missas facio. Patebit, Deo volente ex abolitione Manium vindicatorum, quam confectam habeo: me, nec admodum iniquum, vel acerbum, nec contumeliosum, sed Confessionis imposturarum detegendarum, veritatisque aperiendæ, fuisse studiosum: etsi ego quoque possim (vti facit Generosus Dominus) laborum me & æui saturum dicere: vel potiùs, suspendere postibus arma.

Cæterum, quia Generosus Dominus, se mihi benè cupere profitetur; gratias, quas possum, ago: si beneficium reddere est, se debere nosse, non solùm me debitorem agnosco: sed & profiteor: Et, gratiæ remetiendæ, desiderio vrgente, eidem, quâ nihil hominib' optabilius esse potest, veritatis agnitionem, æternamque salutem, intimo ex animo precor. Quam quia extra Catholicam Ecclesiam neminem consequuturum, sum certissimus; DEVM OPT: MAX. oro: vt Generoso Domino adaperiat oculos: diuturna tenebrarum assuetudine, eo iam adductos: vt eas supra solis radios amet. Faciat Diuina Bonitas: vt Generosus Dominus, agnita Christi Domini, non donata sed innata, non temporali, sed æterna Diuinitate, & abiectis Socini hæresibus, particeps fiat Promissorum Diuinorum: factorum semini Abrahæ: in quo prædictum est: benedicendas esse

omnes gentes: & aliquando tandem, non ſolo titulo, quo ne quidquam gloriatur, ſed re ipſa & veritate, incipiat eſſe Chriſtianus. Socinistas enim falsò dici Chriſtianos, ſolidiſsimè probauit, in Monſtris de Erroribus Arrianorum, celebris in Polonia S. Theologiæ Doctor, R. P. Martinus Smiglecius: &, vtile, de hoc, verbum nullum feciſſet; totius hæc Orbis Chriſtiani ſententia eſt: quæ etiam fecit: vt à Colloquio Torunenſi excluderentur. Eorum verò dogmata, diu poſt Apoſtolorum tempora viguiſſe, & S. Iuſtinum Sectatorum eiuſmodi dogmatum, tanquam Chriſtianorum ſui temporis potiorum meminiſſet, plus quàm falſum eſt. Nam quæ fuerit de Deo S. Iuſtini, & Chriſtianorum ſui temporis ſententia; locupletiſsimè is in Expoſitione fidei explicauit: eos verò, qui Chriſtum, ante ſuum è Virgine ortum, extitiſſe, negauerunt, Tryphonis & Iudæorum opinioni proximè accedere: in Dialogo contra Tryphonem, diſertiſsimè docuit: vti eum legenti patebit. Si alicubi, quod reperire non potui, dixit; Chriſtum Altiſsimi Dei Miniſtrum; non alio id ſenſu dixit: quàm quo eundem Apoſtolus Miniſtrum Sanctorum appellauit: nimirum ſecundum aſſumptam ſerui Formam: aut certè eo, quo ſimilem S. Clementis Romani phraſim interpretatur eruditiſsimus Iunianus in Notis, in Conſtitutiones Apoſtolicas editis: ad lib: 5. c. 6. Qui Chriſtum in vnam eandemque Perſonam cum Deo Patre confuderint; eamque ob rem, à S. Ignatio in Epiſtola ad Tarſenſes, Irenæo, Tertuliano reprehenſi ſint: pauci fuere: nempe Nòetiani: Sabelliani: Marcelliani: at qui, Chriſtum, naturâ, ſeu, (quod idem eſt) eſſentiâ cenſerent eſſe viuum Deum cum Patre; fuêre omnes Chriſtiani: vt è libris SS. Patrum Primitiuæ Eccleſiæ, Lector veritatis ſtudioſus, ediſcere poteſt, & ego, vt ex Harmonia Fidei Catholicæ, ſubijcienda Epiſtolæ; ediſcat; operam dabo: vbi etiam oſtendam; quàm riduculum, & friuolum ſit; dicere: quòd Nicænum Concilium, (Chriſtum in eſſe Summum Deum negauerit: quia eum dixit DEVM de DEO: quaſi Gene-

Generosus Dominus, non intellexerit: per hæc verba, Deum de Deo, significari distinctionem Personarum, Originantis, & Originatæ: per illa verò Consubstantialem Patri, identitatem substantiæ Diuinæ. Iustiùs hic ego, quam alicubi Generosus Dominus, inclamem: *Homine imperito nihil iniquius: quantò magis si peritus sit?* Sanctissimam TRINITATEM à primis Christianis in sensu Generosi Domini esse creditam, negant Regna omnia, Apostolica prædicatione conuersa. Negant Apostolorum successores, qui exceptam ab Apostolis veritatem, publicis sermonibus, Fidelium auribus cordibusque inscripserunt. Negant multi Doctorum & Theologorum per tot sæcula milliones. Negant omnes gentium Septentrionalium Apostoli. Negant denique: qui amplissima Asiatica & Americana Regna in Sanctissimæ TRINITATIS agnitionem induxerunt.

V. Quod Generosus Dominus, Christum à suo cœtu pro Deo Altissimo non coli, candidè profitetur; dat gloriam Deo: veritatem enim dicit: at eâdem operà, impietatis eundem cœtum accusat: quòd non honorificet Filium vt Patrem: quod, se tamen facere debere, didicere Christiani, à Christo, *Ioan*: 5. ℣. 23.

VI. Cœleste Dominium vel Regnum, Deum facere neminem potest. Omnes Beati, Reges erunt cœlestes, sine fine regnaturi: Apostoli, & qui relictis omnibus sequuti sunt Christum; Iudices sunt futuri: quorum tamen nullus vnquam erit Deus.

VII. Christum esse à seipso Deum negant omnes Catholici: certi: esse ingenitum soli conuenire Personæ Patris: dicunt tamen: Filium esse Verbum Deum, per quem omnia facta sint, æqualem Patri, eiusdemque essentiæ cum Patre, ante omnia sæcula genitum: id edocti, ab Apostolis, Ioanne, Paulo, Petro, Thoma, Matthæo, & eorum discipulis in Harmonia producendis: vt nimis falsum sit, quod Generosus Dominus *fol*: 10. dicit: hoc (nimirum quod Christus sit summus DEVS) nullum

vnquam dixisse, docuisseué Apostolorum. Docuêre id omnes illi, qui etsi vnum esse Deum, præter quem non sit alius, profiterentur; Christum tamen appellarunt, Deum verum: Deum Magnum (vt in Centuria probaui) Deum Israel. *Lucæ 1. ℣. 16. & 17. & 68. & 76.* Dominum & Patrem Deumque nostrum, &c. Nimis falsum est, (vt patebit, ex Harmonia Epistolæ subijcienda) neminem primorum Christianorum id credidisse. Nimis item falsum, Fidem Triadomachorum innumeris Martyrijs consignatam esse. Habuit campum Martyrij Theodotus, hæresis Triadomachicæ Patriarcha: sed maluit negare Christum, quàm pro eo pati: persuasusque: non graue periculum esse, negare eum, qui non Deus, sed homo est. Fidem Sanctissimæ TRINITATIS innumeris Martyrijs esse consignatam, Fasti Martyrum testantur. Certè illos ipsos, qui sub Constantio, & Valente Imperatoribus Orientis, qui à Gotthis, Vandalis, Gepidis, Ostrogothis, Heruilis, &c. pro Sanctissimæ TRINITATIS grauissimis cruciatibus occisi sunt; non facilè quis numerauerit. Videat qui vult, victorem Vticensem, vel Historiam Ecclesiasticam Cæsaris Baronij.

VIII. Consubstantialitatis SS. TRINITATI negatæ, causa à Generoso Domino allata, non videtur houam sufficiens. *Profiteor* (inquit) *tantum mihi mentis non esse: vt intelligam, quid sit, quod dicitur: vnam numero & indiuiduam substantiam, esse, & eandem, cuilibet trium Personarum à se distinctarum, totam indiuiduam, & indistinctam, esse communem.* Audiat Generosus Dominus S. Augustinum Serm: 51. in Ioannem, de hoc differentem. *Fides debet præcedere intellectum: vt intellectus sit fidei præmium; Propheta enim apertissimè dixit: nisi credideritis non intelligetis.* Et verò, nescio an Generosus Dominus capiat, quomodo ex nihilo creari potuerit cœlum & terram: Adam ex limo, Eua ex Adæ costa: quomodo ignis tres pueros sibi iniectos nequiuerit exurere: quomodo aqua crassa sacrificis ligna victimasque potuerit accendere, &c. &c. quæ tamen, vt arbitror, credit. Cur non ergo etiam

go etiam Consubstantialitatem SS. TRINITATIS credit, etsi non capiat. Denique si eam non capit, cur carpit? cur impugnat? cur veluti absurdam, & falsam Orbis Christiani assensum non moratus, traducit? Quanquam, si vellet; facilè id capere, vti omnes Christiani, posset: vt & illud: quomodo IESVS sit Christus, vel simulque Summus Deus. Nam aliquem simul esse Summum Deum, & Summi Dei Christum nullo negotio percipit, qui dignatur credere Ioanni Euangelistæ: quod Verbum Deus, sit Caro factus: aut Paulo, quod Spiritus in Forma Dei æqualis Patri, Formam serui assumpsit: in qua vnctus, sanctificatus, passus, & tandem exaltatus est.

IX. Apostolorum tempore, non aliud prædicatum esse, nec aliud creditum; quàm quòd IESVM DEVS à mortuis suscitauerit: & Dominum Regemque cœlestem, id est Christum fecerit; apertè falsum est. Nam enim id solùm prædicatum, quod in Actis Apostolicis scriptum. Quis dubitet prædicasse Apostolos, quod eos Christus prædicare iussit. *Matth*: *28*. ℣. *19*. etsi hoc scriptum non legamus. Prædicarunt ijdem Mariæ Magdalenæ bonum opus, quod in Christum operata est: quia prædicandum in toto mundo prædixit Christus: etsi de hoc in Actis nulla facta mentio. Prædicarunt Euangelium in omnes gentes: quod eos facere iussit Christus, etsi nihil scriptum sit de prædicatione eorum, in Ægypto, in Æthiopia, in Indijs, immò neque in Gallia, Germania, & Regnis Septemtrionalibus. Deinde: etiam inter ea, quæ scripta sunt, legimus prædicatum esse Christum, esse *Verbum Deum, per quem facta sunt omnia: figuram hypostaseos Dei Patris*: *per quem fecit & secula*: *tum qui terram fundauit*: *& cuius opera sunt cœli, &c*. Christum item, esse *largitorem SPIRITVS SANCTI*: esse *Deum super omnia benedictum*: esse *Omnipotentem*; *omniscium, &c*. esse item *æqualem Deo Patri, omnia habentem, quæ haberet Pater* : & *quæcunque operetur Pater, eadem similiter operantem*. Prædicarunt item Apostoli: eum esse *Deum* : *qui acquisiuit Ecclesiam sanguine suo*. Act: 20. ℣. 28. esse *Deum*, quem Isaias

 prædi-

prædixit *tanquam ouem ad occisionem ductum iri, cuius generatio esset inenarrabilis* Act: 8. ℣. 32. & 33. esse illum *Iehouam*; qui Ioel 2. ℣. 28. dicebat: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Act: 2. ℣. 17. *illum Iehouam*; Isa: 49. ℣. 5. & 6. *a quo se gentium in lucem positum, ait Paulus, Act*: 13. ℣. 47. Est ergo euidenter falsum; non aliud prædicatum ab Apostolis, & creditum à Christianis, nisi hoc; quod Generosus Dominus fol: 10. ad finem, dicit.

X. Impij sunt Politheitæ: qui negantes Christum esse illum vnum Deum, eum tanquam Deum colunt: pij autem Christiani: qui sexcentis propè S. Scripturæ locis, edocti: DEVM ita esse vnum, vt præter eum non sit alius; immò nec ei similis; & insimul; Christum esse DEVM, in Codicibus Apostolicis legentes; concludunt: Christum, esse vnum illum DEVM: eumque eo cultu, quo Deum Patrem, colunt.

XI. Puri hominis nomine, nihil vnquam aliud intellectum est; quam Homo, qui non habeat aliam essentiam, vel naturam, nisi humanam: atque ideò homines, quicunque etiam in vtero materno sanctificati, SPIRITV Sancto repleti, ad altissima munera destinati & electi, thaumaturgi, ad cœlos (vt opinione Socinistarum Elias & Enoch) rapti, Reges item & Iudices, appellati dij, nunquam aliter, quàm puri homines audiêre: vt ideò omnibus hæreticis, qui Christum negauêre esse Personam Diuinam, coæternam, & consubstantialem Patri; à SS. Patribus obiectum sit; quod Christum etsi eum è SPIRITV S conceptum, singulariter sanctificatum, à mortuis suscitatum, & ad Superos euectum profiterentur: pro puro homine haberent. Qui ergo Christum negat aliam naturam habere præter humanam; is Christum esse purum hominem affirmat: & licet nec Iudæus, nec Machometanus sit (ad quos tamen proximè accedit) neque Ethnicus: est tamen Hæreticus; hæreseos ab Apostolis damnatæ, manifestus.

XII. Plenitudo Diuinitatis non esset in Christo, si in eo Essentia & Personalitas Diuina non esset: neq; enim vlla quantacunque

tacunque poteſtas facere poſſet Deum: quia vt hominem, non niſi Humana eſſentia; ita Deum verum, non niſi Diuinæ Perſonæ eſſentiæque communicatio, facere poteſt.

XIII. DEVS Altiſsimus, ſi in aſſumpta forma ſerui, in ſimilitudinem hominum, factus, ſemetipſum ad grauiſsimos perferendos cruciatus, mortemque ignominioſiſsimam ſubeundam obtulerit; poteſt, ſecundum Formam ſerui humiliatam exaltari. Quæ enim in hoc repugnantia?

XIV. A dextris Dei Patris ſedere poſſe Filium; dubitare non poteſt: qui ſciat: eum, non in vnam, cum Patre Perſonam coaluiſſe: (vt Generoſus Dominus affirmat: falsò Catholicis affingens id, quod illi in Sabellio, alijſq; Patropaſsianis damnarunt) ſed Perſonalitate à Patre diſtinctum, vnam cum eo habere eſſentiam: ſiue (quod idem eſſe ſæpiùs inculco) vnum cum Patre, eſſe.

XV. Pro cœleſti Regina Sanctiſsimam Deiparam colere, non eſt impium: at eam, pro DEO, vel Dea habere, anthropolatria eſt. Cæleſtes Reges fore, omnes Beatos; iam dixi (addit Smalcius, ita Reges futuros; vt Chriſtus ſuper eos non ſit regnaturus) eos tamen, nemo vnquam Deos eſſe dicet: nemo eis diuinos præſtabit honores: qui meminerit, Deum verum tantum eſſe vnum: præter quem alius nec nunc ſit, nec vnquam futurus.

XVI. An Generoſus Dominus ſit Hæreſiarcha; non habeo dicere: nec enim ſcio quidquam eum docuiſſe: quod non alij docuerint prius. Fortaſſe Actori & Tribunali Regio, è libris Sociniſtarum, nulli, ante Notas Welknerianas lecti: vt ideò, ab eis, qui Socinum, Smalcium, alioſque Triadomachiæ Miniſtros, nunquam legerint; earum author, creditus ſit, primus conſubſtantialitatem Sanctiſsimæ TRINITATIS negaſſe. Sed de hoc viderint ipſi. Anabaptiſtam, Generoſum Dominum, non eſſe, ſi infans non eſt baptiſmo tinctus, facilè adducor vt credam. At quod Arrianus non ſit; non poſſum adduci, vt credam.

Quod

Quod enim argumentum, eſt ab eo in ſummam Chriſti Domini Diuinitatem iactum; quod non, in eandem, olim iecerint Arriani? Ignorantiam diei Iudicij, Minoritatem Patre, traditionem Regni & ſubiectionem, & alia pleraque, nonnè ab Arrianis Sociniſtæ didicerunt? Similiter: Scripturarum à Catholicis obijci ſolitarum, quæ Sociniſtis ſolemniora effugia, quam quæ à veteribus hauſta Arrianis: Scripta Sociniſtarum clamant, eos Chriſto negare, quidquid negarunt Arriani: & inſuper, id; quod ipſi concedebant: vt, idcircò dici debeant κατ' ἐξοχὴν Arriani: ſeu Photiniani: qui Chriſto non ſolùm Summam Diuinitatem, Diuinamq́ue & increatam Eſſentiam, ſed etiam, generationem ante ſæcula, creationem cœli & terræ, Perſonæ Verbi cum Carne vnionem, aliaque multa, Sociniſtarum nimirum prodromi, negauerunt.

XVII. Cæterùm eſto Anabaptiſta; eſto Arrianus, non ſit G. D; cenſeri tamen nec inter Catholicos poteſt: à quibus ſe longiſsimè receſsiſſe diffiteri nequit: nec inter toleratos diſſidentes: quia per hos illi ſoli intelliguntur; qui de Deo, & Chriſto, non aliud, quam quod Catholici ſentiunt: quos inter G. D. non priùs reperiet locum, quam cùm Socini Erroribus nuncium remiſerit.

XVIII. Quod Generoſo Domino ſancta videantur dogmata, quæ è Notis Welknerianis eruta, blaſphemiæq́ue, à Sanctiſsimo totius Regni Tribunali damnata ſunt; magnopere deplorandum eſt. Neque enim, dum eis adhæret; membrum eſſe Chriſtianæ Eccleſiæ, participſq́ue fieri beatitudinis ſempiternæ poteſt.

XIX. Erras Generoſe Domine: quantumcunque tibi de Chriſtianorum titulo blandiaris, ſi Socinianæ affixus hæreſi, ſalutem te æternam conſecuturum putas. Non dici, ſed eſſe Chriſtianum, beatos facit: ait S. Ignatius ad Magneſianos.

Erras: ſi te veram & genuinam S. Scripturæ intelligentiam habere poſſe exiſtimas: ſi non ea innitatur placitis Eccleſiæ: quæ

eſt colu-

eſt columna & firmamentum, Veritatis. Erras ſummopere: ſi te extra arcam Noeticam diluuiales aquas euaſurum; extra ouile Chriſti, Paſtoris vocem auditurum; extra Eccleſiam Saluatoris, ſalutem æternam obtenturum, arbitraris. Errorem hunc facilè exceſſeris, ſi aurem & fidem dare, S. Cypriano Martyri fueris dignatus. *Quiſquis*, (ait ille, lib: de vnitate Eccleſiæ) *ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec peruenit ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti: alienus eſt: prophanus eſt: hoſtis eſt. Habere non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem. Si potuit euadere quiſquam, qui extra arcam Noe fuit; & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadet.* Et Epiſtola 40. ad plebem: *Deus vnus eſt: & Chriſtus vnus: & vna Eccleſia, & Cathedra vna, ſuper Petrum voce Domini fundata. Aliud altare, aut Sacerdotium nouum conſtitui, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Nemo vos, Fratres, Chriſtianos ab Euangelio Chriſti rapiat: nemo filios Eccleſiæ ab Eccleſia tollat. Pereant ſibi ſoli, qui perire voluerunt; extra Eccleſiam ſoli remaneant, qui de Eccleſia receſſerunt. Soli cum Epiſcopis non ſint, qui contra Epiſcopos rebellarunt.* Et Epiſtola 52. ad Antonianum: *Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt.* Hæc, Generoſe Domine, ſi vti debes, agnoſcis eſſe veriſsima; facilè intelligis, quantò in periculo verſeris, à communione Eccleſiæ Catholicæ alienus. Eam quidem maculam tantam eſſe, idem S. Martyr lib: de Vnitate Eccleſiæ dicit: vt nec ſanguine pro fide fuſo eluatur. *Eſſe* (inquit) *Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad Regnum venire non poteſt, qui eam, quæ regnatura eſt, deſerit: exhibere ſe non poteſt Martyrem, qui Fraternam non tenuit charitatem.* Et infra: *Cum Deo manere non poſſunt: quia eſſe vnanimes in Eccleſia Dei noluerunt. ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtijs, animas ſuas ponant, non eſt illa fidei corona: ſed pœna perfidiæ. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.* His expenſis, videant Domini Sociniſtæ: quid ſibi de perſecutionibus,

quas toties exaggerant, (ſatis delicati Martyres, qui nec vnicam ſanguinis guttulam fuderint pro ſua fide) debeant polliceri.

XX. Quæ verò Eccleſia eſt, extra quam viuere tantum eſſe piaculum, docet S. Martyr? *Eccleſiam Catholicam eſſe*; ipſo, quem libro præfixit, titulo, ſignificat: quem etiam Epiſtola 51. repetit: Eccleſiam illam: quam ibidem *ſuper Petri Cathedram ædificatam*, ait: *cuius primatum Petro datum docet*: *quam per totum orbem radios ſuos porrigere, ramoſq́ ſuos in vniuerſam terram copiâ vbertatis extendere, gloriatur*: quam denique, in Epiſtola ad Cornelium 55. vocat *Eccleſiam Romanam*: *ad quam perfidia acceſſum habere non poſſit*: *cuius fides annuncietur in vniuerſo mundo*: *à qua vnitas Sacerdotalis exorta ſit*: *cuius contemptus ſit hæreſeon origo. Nec enim* (inquit) *hæreſes aliunde obortæ ſunt, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur*: *nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex, vice Chriſti cogitatur*.

XXI. Habes, Generoſe Domine, S. Africani Martyris, Apoſtolorum temporibus, Socino, alijſque tui cœtus Didaſcalis, longè propioris; de Eccleſia ſententiam: ex qua tuæ ſalutis periculum, (modo excuſſa præiudicatæ opinionis caligine, in apertam veritatis lucem, oculos aperire volueris) clariſsimè potes colligere.

XXII. Fortaſſe dices: quod fol: 180. vindic. ſcripſiſti: *Non aliam ego reor Sanctam & Catholicam Eccleſiam: quam quæ illam ſolam retinet fidem, quam initio vbique Apoſtoli tradiderunt, quæque huic Sanctiſſimæ Fidei, vita moribuſq́ conformis eſt.* At hîc iam tè oportebit docere, quid de Eccleſia tantopere à S. Cypriano prædicata, cenſeas. Fuitné illa eius ipſiſsimæ fidei, quam ab initio vbique Apoſtoli tradiderunt, magiſtra? ſi non? quæ igitur? An iam eo ipſo tempore, Fides Apoſtolica interijt? Credere quis poteſt; omnes Apoſtolicos diſcipulos, tam modicæ fuiſſe fidei; vt, quam ab Apoſtolis edidicerant, ad S. Cypriani tempora tranſmittere nequiuerint? credere quis poteſt, Theodori Coriarij dogmata, diutiùs, quam Apoſtolica perſeueraſſe? adeoné remiſ-

né remiſsè Chriſtus ſuum egerit negotium; adeò ſuæ Sponſæ iniurius, eiuſque diſcriminum fuerit ſecurus; vt cùm poſſet, non curauerit; vt ſuæ Sponſæ integritas, ad ſecundum ſaltem ſæculum, procul omni macula, conſeruaretur? tam ſteriles, tamque infelices, fuerint Apoſtolorum in colenda Chriſti vinea labores, vt eorum fructus ne quidem S. Cypriani tempora, ſolari potuerint? Id omninò mihi videtur incredibile. Quod ſi G D. Eccleſiam Romanam, S. Cypriano ſuperſtite, eam eſſe agnoſcit; quam is magnis laudibus extulit; ad quam perfidiam acceſſum habere poſſe negauit; extra quam, neque per fuſum ſanguinem ſaluari quenquam poſſe conſtantiſſimè affirmauit; ſuam ipſe conſulat conſcientiam: an non æternæ ſalutis grauiſſimo ſe ingerat periculo; dum ab ea Eccleſia non ſolùm ipſe alienus eſt, ſed alios etiam alienat: non ſuæ ſolùm, ſed & multorum ſalutis interuerſæ reus futurus, niſi reſipiſcat. Illud quidem ei omni aſſeueratione affirmo, S. Cypriani dogmata, adeò diſcrepare ab eius dogmatibus, Antopologiæ, Notis Welknerianis, Expoſitioni locorum S. Scripturæ, &c. inſertis; vt neceſſe ſit, ab Orthodoxis, aut S. Cyprianum, aut G. D. excludi: vti facile conuincere poſſem, parallelis dogmatum vtriuſque: quibus ſuperſedeo: ne menſuram Epiſtolæ, excedam.

XXIII. Illud vnicum dico: deſcriptionem ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ, à Generoſo Domino datam, ita S. Cypriani placitis diſſonare, vt ei meritò obijci poſſit quod is in Epiſtola ad Antonianum obijcit Nouatianis. *Quantus* (ait) *arrogantiæ tumor eſt; quanta humilitatis & lenitatis obliuio; arrogantiæ ſuæ quanta iactatio? vt quis aut audeat, aut facere ſe poſſe credat, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus: vt zizania à frumento putet ſe poſſe diſcernere: aut quaſi ipſi paleam ferre, & aream purgare conceſſum ſit, paleas conetur à tritico ſeparare: cùmque Apoſtolus dicat, in domo magna non ſolùm vaſa aurea, vel argentea eſſe, ſed & lignea, & fictilia; aurea & argentea vaſa videatur eligere; lignea vero & fictilia contemnere: abijcere: damnare: quando non niſi die Domini, vaſa lignea Diuini ardoris incendio con-*

dio concrementur : & fictilia ab eo, cui data eſt ferrea virga, frangantur.

XXIV. Quanquam, ſi gloriari in Domino licet, vitamq́; & mores Sanctiſſimæ Fidei conformes, intento quaſi digito monſtrare: nego id vſquam, magis quam in Eccleſia Catholica, eſſe conſpicuum. Probauêre id prolixe, Boſius de Notis Eccleſiæ, Leſsius in Conſultatione de Fide capeſſenda, Barclaius in Parænefi: & alij paſſim. Mihi, quia diffundi, non integrum: ab ipſo Generoſo Domino quæro: quid in Apoſtolica Eccleſia viderit; quod nunc in Catholica non videat. Ibant Apoſtoli, imperio Chriſti exciti in omnes gentes; vt prædicarent Euangelium: idem faciunt Catholici: finem nullum facientes prædicandi Euangelij: gentibuſque ignotum Deum annunciandi. Qui ſpiritus ſegregauit Paulum ad Euangelizandum Filium Dei inter gentes; qui, Petrum ad hoc elegit, vt per os eius gentes audirent verbum Euangelij; & crederent; qui Philippum impulit, vt Æthyopi Eunucho euangelizaret IESVM; idem etiamnum, plurimos ex omnibus Europeis Prouincijs, ad Euangelizandum Indis, Americanis, Chinenſibus, Iaponijs, Tunquinianis euocat: vt Euangelium prædicent, vbi antea nunquam nominatus Chriſtus. Ita (vt alias Prouincias taceam) euocauit ex Polonia, in Chinas PP. Rudominam, Bohimum, & non genere ſolùm, ſed & magnis regni honoribus illuſtrem, Smogulecium: qui iam in Tartariam Magnam, veritatem Euangelicam prædicaturus tranſijt. Euocauit in Regnum Tunquinenſe Leuicium: in Perſidem Młodzianouium, in Iaponiam Męczynſcium: vt eos, quos Conſtantinopolim & Smyrnam, quos Crimum, quos in Moldauiam, euocatos etiamnum ſuperſtites conſeruant; prætercam. Rurſus. Apoſtoli ibant à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro Nomine IESV contumeliam pati. Id quoque quàm ſolenne, quàm frequens ſit Catholicis; teſtantur Iaponia, India vtraque, Anglia, Scotia, Gallia, Germania, Hungaria. Nemo Polonorum tanto ſtudio Prætorias

curules

curules expetijt, quanto Iaponicas contumelias, cruciatus, ignes, aquarum ſtrangulationes expetiit P. Albertus Męczynſki. P. verò Marcellus Maſtrillus, tanta animi geſtientis exultatione, Iaponica excepit tormenta; vt ſpectator eorum Hollandus, Gedanum reuerſus, ad Fidem Catholicam, hoc ſpectaculo motus, animum adiecerit: dictitans: ſe non poſſe perſuaderi: fidem eam eſſe malam, pro qua tanta auiditate grauiſsimis tormentis, mortique atrociſsimæ, vltrò ſe offerrent, homines grauiſsimi: qui in ſuis Patrijs, ampliſsimis honoribus opibuſq; potiri, ſuamque, in pace, ſalutem, operari potuiſſent. Vbi verò frequentius, quam in Catholica Eccleſia videri poſſunt Euangelica conſilia impleta? Qui alij nunc, præter Catholicos dicere poſſunt; illud Apoſtolicum, *Ecce nos reliquimus omnia?* ſolos inter Catholicos, vidimus: Imperatores, & Imperatrices, Reges & Reginas, Duces & Duciſſas, diademata, tyaraſque, cæteraque ſæculi admiranda, abieciſſe: ſeque ergaſtulis cœnobiticis ſumma ſponte incluſiſſe: & (quod caput eſt) liberrimas, regendiſque populis natas voluntates, imperio ſubieciſſe alieno. Vbi item frequentiùs videre licet illud Paulinum, Melius; (*1. Cor: 7. ℣. 38.*) ſeruare virginem ſuam: quam in tot Eccleſiæ Catholicæ Parthenonibus: quibus ſe, Illuſtriſsimis ortæ Parentibus filiæ includunt? vbi denique in vſu Apoſtolicum illud (1. Cor: 9. ℣. 27.) *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo:* ſi non, apud Catholicos? Apud omnes certè ſectarios, afflictiones corporis, ludibrio ſunt: & ἐθελοθρησκίας damnantur. Aduertit hæc olim Ciuis Dantiſcanus, Iacobus Gaulius; Roſencreicerorum, me Gedani habitante, Miniſter: qui omnes prope Sectariorum angulos ſcrutatus, Catholicam tandem veritatem, & ipſe amplexus eſt: & vt, multi alij amplecterentur; præſtitit: eo ferè vnico vſus argumento. Videmus in Sacris literis, laudari ieiunia: corporis afflictiones; propriæ voluntatis abnegationes; virginitatis conſeruandæ ſtudium: eleemoſynas: orationum frequentiam: honorum fugam: diuitiarum contemptum: & ſimilia.

ſimilia. Non dubium ergo eſt: Deum, quã eſt ſalutis humanæ cupiditate, prouidiſſe: ne vnquam deeſſet Eccleſia, quæ eadem commendaret: vſuique haberet. Quæ ergo illa? Non Lutherana: fui ibi: & hæc omnia derideri, & contemni, didici. Non Caluiniana: fui ibi: & multò magis hæc ab ea damnari audiui; Non Photiniana: fui ibi: & neque iſtic ea reperi: Non Anabaptiſtica: fui ibi: & alia omnia comperi. Sola ergo Eccleſia Catholica eſt: in qua, quæ in Sacris literis commendari legimus: laudantur: & vſui ſunt: & ſubinde præcipiuntur, ſub æternarum pœnarum interminatione. Neque obſunt, multorum praua Papiſtarum exempla. Nihil hoc puritati doctrinæ derogat. Ne Chriſtus quidem facere potuit, vt ad eius amuſsim, omnes, ſuæ vitæ rationes exigerent. Hæc cum varijs conferendo; plurimos Catholicæ Eccleſiæ adiunxit. & in eis M. D. Giza: qui Sectæ Caluinianæ adeò adhæſerat: vt data operâ Romam ijerit; vt ibi ſuam ſectam vel omnibus Cardinalibus perſuaderet; vel ſua morte illuſtraret. Deus è Saulo fecit Paulum. Gedanum redux, cum Gaulio congreſſus, & allato argumento conuictus, veritati ceſsit: ſeque Catholicæ vniuit Eccleſiæ: magna totius Pruſsiæ admiratione: & Catholicorum gratulatione.

XXV. Vide iam, Generoſe Domine: an non in Eccleſia Catholica, eam, quam quæris Sanctiſsimæ Fidei, morumq; conformitatem, in eius potiore parte, agnoſcere debeas. A totâ, ſi Eccleſia, morum, Fidei, conformitatem exigis; aliam, ab ea quam fundauit Chriſtus, Eccleſiam quæris. Eccleſia Chriſti, eſt ager, in quo non purum triticum, ſed zizanijs miſtum, vſq; ad ſæculi conſummationem, creſcere oporteat: eſt ſagena, quæ non ſolùm bonos, ſed & malos congreget piſces: eſt domus, in qua vaſa, præter aurea, & argentea, lignea etiam, fictiliaque, eſſe neceſſe ſit. Quodſi necdum, Romanam Eccleſiam Sanctam eſſe & Catholicam, adduci potes, vt fatearis; da meliorem: exhibe videndam, eſſe illa debet, ciuitas ſupra montem poſita: latere ergò nec potuit: nec poterit vnquam: toto eam diffundi

orbe

orbe Titulus Catholicæ exigit: Vt cæcos eſſe (ait optimè Sanctus Auguſtinus) opus ſit: qui fulgentem in candelabro lucernam non videant: in ſole poſitum tabernaculum, oculis ſe vehementer ingerens, cernere ſe negent: & in montem magnum, incurrere, quam animos conuertere malint: pertinaces verò: qui ampliſsimum hæreditatis Chriſti regnum, ab orbis finibus, ad anguſtiſsimos trahant angulos: prodigioſa cæcitate, ipſius Sancti Spiritus oraculis, mendacium affingentes.

XXVI *At hoc* (ait Generoſus Dominus) *Chriſti regnum hominum perfidia euertit: ipſum ſibi, ſua à Deo defectione, & ruinæ, & excidij cauſa fuit.* Itane verò? vbi iam veſtra fides, Prophetæ? Dixiſti Daniel: 2. ℣. 44. *In diebus illis ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, &c. & 7. ℣. 14.* Et: *dedit* (*antiquus dierum*) *ei,* (*filio hominis*) *poteſtatem & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient. poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur: regnum eius,* (Nota benè Generoſe Domine) *non corrumpetur.* Dixiſti *Iſai. 59. ℣ 21.* (vbi de Eccleſia è gentibus collecta, Prophetam loquutum, teſtatur Apoſtolus: Rom: 11. ℣. 26.) *Spiritus meus* (ait Dominus) *qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo: & de ore ſeminis tui, à modo vſque in ſempiternum.* Dixiſti Michæa 4. ℣. 7. *Regnabit Dominus ſuper eos, in monte Syon, ex hoc, nunc, & vſque in æternum.*

Quæ, (inquam) erit verbis veſtris fides: ſi vera ſunt, quæ audimus? ſi, verum eſt, mille iam, & amplius, annis, non vllam ciuitatem, non pagum, non domum, non angulum fuiſſe; vbi Catholica fides, & Catholica Eccleſia, vnicum, & à vobis prædictum, Chriſti regnum, fuerit: ſi verum eſt, vniuerſalem Apoſtaſiam, inde vſque à Niceno Concilio, aut aliquanto prius, totius Apoſtolicæ & Euangelicæ doctrinæ lucem oppreſsiſſe: ſi verum eſt, Chriſti Eccleſiam, ne quidem centum integris annis, (quod alij Sociniſtæ affirmant) duraſſe: atque ideò regnum, quod vos fore æternum dixiſtis, ne tanto quidem tempore, quanto Synagoga, vel Manichæorum, aut Saducæorum hæreſes, permanſiſſe.

XXVII. Agnoſce Generoſe Domine : quantum regno Chriſti iniurius ſis. Vniuerſalem ei adſcribis defectionem, vniuerſaleque excidium? mitto: quàm id diſertiſsimis repugnet Prophetarum Oraculis, quæ attuli. Nunc ſolùm quæro, quando hanc Vniuerſalem Apoſtaſiam Eccleſiæ incubuiſſe cenſes? *In aduentu* (inquis) *Antichriſti*. Quando verò venturus ille? Tuo iudicio, ante mille quingentos annos venit. Iam igitur mille quingentis annis, Chriſtus, Rex ſine Regno: Pontifex ſine altari & Eccleſia: Paſtor ſine ouibus: Dominus ſine populo: ſine corpore caput: ſine Sponſa Sponſus, atque adeò viduus fuit. Quot verò tandem annis regnum Chriſti duraſſe credis? Certè ſi tuorum, de Antichriſto ſenſum ſequi volueris; dicere te oportebit, ne vnico quidem ſæculo duraſſe. Meminiſti à Sancto Ioanne dictum 1. 2. ℣. 18. *Filioli: nouiſſima hora eſt: & ſicut audiſtis: quia Antichriſtus venit, &c.* Si ergo Antichriſti aduentum comitari debuit Vniuerſalis Apoſtaſia: neceſſe eſt: eam, ſuperſtite etiamnum S. Ioanne, veritatis Chriſtianæ lucem extinxiſſe. Quam ergò breue erit regnum Chriſti: quod æternum manſurum dixere Prophetæ: cuius finem nullum fore Gabriel prædixerat? Mirabile profectò eſt Manichæorum Hæreſim, temporibus, proximis Apoſtolorum funeri, ortam, mille & amplius annis, nempe vſque ad S. Dominici tempora permanere potuiſſe; mille item & amplius annis Machomætanam perfidiam durare; Chriſti verò Eccleſiam, eius ſanguine acquiſitam, ſummis Apoſtolorum laboribus, fuſoque ſanguine toto orbe propagatam, ne quidem integrum centenarium explere potuiſſe: ſed viuente adhuc dilectiſsimo Chriſti diſcipulo, Apoſtolo, Euangeliſta Ioanne, vniuerſaliter in Aduentu Antichriſti apoſtataſſe. Mirum item, ne verbulo quidem in toto ſacro codice ſignificari vniuerſali apoſtaſiæ, (quæ præſertim tanto temporis interuallo protracta fuerit) ſucceſſuram, veræ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Socinorum opera reparationem.

XXVIII. Qui verò tuus, G. D. de ea reparatione ſenſus? Eiuſnê

Eiufné perennitate, fundatam à Chrifto, propagatam ab Apoftolis Ecclefiam, cenfes fuperatum iri. Credere potes, tuo cœtui nunquam defuturum Spiritum Sanctum, qui cœtum Apoftolicum deferuerit : etfi Apoftolis eum in finem datus, vt cum Ecclefia ab eis propaganda, maneret in æternum : eamque omnem doceret veritatem? Credere potes, tui cœtus conftantiæ, nullam hominum peruicaciam, nullas aliter fentientium impetitiones, ac ne innatam quidem mortalibus mutabilitatem, præualituras? At, fi Ecclefiæ illi, fupra petram fundatæ, cui portas inferi non præualituras, eius Conditor prædixerat; fi domui illi, quam neque copiofo pluuiarum ingruente nimbo, nec fuperueniente excrefcentium fluminum impetu, nec ventorum vndique infurgentium procellis labefactari poffe, eius ædificator, fanctifsimè, & affirmatè refponderat; fi regno illi, cuius nullum fore finem, Angelus, & Prophetæ prædixerant; libertas arbitrij, potuit parere excidium; cur non, eadem fata, ab eifdem caufis, tuo Generofe Domine cœtui, pertimefcas? quomodo credere potes, eum ad diem nouifsimum permanfurum? quomodo id effici poffe imaginaris? Num per impofitam, tuis Sectatoribus, ad fola fectanda Apoftolica dogmata, necefsitatem? at eam, omnes veftri Scriptores, ceu omnis pietatis & Religionis exterminium execrantur : (quod & tu, pari conftantia, etfi maiore, quam vlli alij modeftia præftas : *Vindic. fol: 180. & 181.*) Num Sancti Spiritus præfidio fibi perenniter afti.uro? At cur tuo potiùs id cœtui tribueris, quam ei, quem toto orbe Apoftolicorum hominum prædicatione, magnis eam confequentibus & confirmantibus fignis, propagauit; hodieq; propagat Deus? An Præfidum, & Præceptorum, vigilantia, fapientia, pietate? At quis credere poteft? hæc in eis maiora futuro, quam in eis fuerint; qui, (vti, veftris Miniftris, longè propiores Apoftolis;) commendatas Timotheo, & alijs, Epifcoporum virtutes, & faciliùs, ab ore difcipulorum Apoftolicorum haurire potuerint; & porrò, (vt ex eorum virtutibus, fufce-

fuſceptiſque in Religione tuenda & propaganda labōribus patet) copioſiſsimè hauſerint: quàm fuerint in eis; quorum doctrinæ, Orbis Chriſtiani aſſenſu, & plerumque miraculorum, frequentia, fidem fecerit Deus: quàm denique fuerit, atque etiam ſit in eis: qui ſpontaneo ſibi indicto exilio, per mare, per terras, remotiſsimas regiones, & crudeliſsimas gentes adeunt, vel ſanguinis proprij, vitæque impendio, regnum Chriſti propagaturi: animaſque infidelium, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, in labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, Chriſto venaturi: & in faſtigio felicitatis poſituri; ſi digni fuerint pro Nomine I E S V, contumelias, craticulas, carceres, cathenas, lentos ignes, aquarum ſtrangulationes, omneſque tormentorum perpeti cruciatus. Credere potes, Generoſe Domine, eam ſaltem vigilantiam, ſapientiam, pietatem, quam nunc tuo cœtui ineſſe, (verè an ſecus, relinquo in medio) gloriaris: ad diem nouiſsimum duraturam? At quæ eius perſuaſionis ratio? quod certitudinis Fundamentum? Si verò, (vt quidem ego arbitror) etiam ſuo cœtui, defectionis periculum, Domini Sociniſtæ verentur; fingant factum. Cogitent ſuum Cœtum, eò delapſum, quo ante mille & amplius annos, Photinianis extinctis, deciderat: (id quod impoſsibile eſſe, neminem ſapientum dicturum cenſeo:) cogitent eum ad incitas redactum: (cur enim potioris ſit conditionis, quàm Eccleſia Apoſtolicis condita laboribus: quam omnino totis mille & amplius annis, nullam fuiſſe contendunt?) atque id præmeditati, vel ſaltem imaginatione complexi, dicant: quid ſibi de regno Chriſti polliceantur. Periturum rurſus illud, dicere audebunt? dolendum id quidem: ſed non impoſsibile: ſi Eccleſia Catholica firmioribus munita præſidijs perierit. Quid ergò dicetis DD. Sociniſtæ. Perire iterum regnum Chriſti poſſe: an non? ſi non? cur

potiùs

potiùs nunc perire illud impoſsibile ſit; quam fuerit ante? eo præſertim imminente tempore, quo, (vt præcauet Chriſtus) abundante iniquitate requieſcet charitas: quo tot tribulationes, tot Tyrranorum inſectationes, tot Pſeudoprophetarum, per ementita prodigia imposturæ, ſint ingruituræ; vt in errorem, ſi fieri poſsit, inducantur etiam electi? cur non potiùs negandum eſt, vnquam Chriſti Eccleſiam perire potuiſſe; ne eam rurſus perire poſſe, concedi neceſſe ſit? Nolis velis, Generoſe Domine, diffiteri non potes: aut Eccleſiam Chriſti ab Apoſtolis propagatam nunquam perijſſe: *ſed ſemper* (vt loquitur S. Auguſtinus, in Epiſtola ad Vincentium Rogatiſtam) *in ſuis firmiſſimis eminuiſſe*: aut certè etiam tuum puſillum cœtum interire poſſe: & fortaſſe breui. (quod, Deo fidelium animabus conſulente, futurum ſpero) interiturum. Si autem etiam cœtum veſtrum (quo quidem inclinare videtur) Vniuerſalis excipiet Apoſtaſia: quod ſupererit regnum Chriſto; quod ſit, in nouiſsimo die Deo Patri traditurus?

XXIX. Sanè hæc eiuſmodi ſunt: vt omninò ſufficere videantur ad excutiendum quibuſdam Heterodoxis errorem: quem de Eccleſiæ Catholicæ defectione ſe concepiſſe; (neſcio fronte an mente, probante an improbante conſcientia) iactitant: veriùs, ſuæ apoſtaſiæ, & hæreſibus prætexunt. Hæc de prima Regno Chriſti illata iniuria. Venio ad alteram.

Regnum Chriſti toto orbe diffuſum iri prædixere Prophetæ. Audiamus eorum aliquos. Quid dicis Dauid, vir ſecundum cor Dei? quantum regnum promittis Meſsiæ? *Conuertentur* (ait Pſ: 21.) *ad Dominum vniuerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu eius omnes familiæ gentium.* quid amplius? *Dominabitur,* (inquit Pſal: 71. ℣. 8. &c) *à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum: adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes ſeruient ei.* Satis diſertè.

Quid verò tu Iſaia Eccleſiæ Chriſti polliceris? *Lætare,* (ait cap: 54.) *ſterilis quæ non paris, &c. quoniam multi filij deſertæ magis,*

quàm eius quæ habet virum. Dilata locum tentorij tui, &c. ad dexteram, & leuam penetrabis: & semen tuum gentes hæreditabit: & ciuitates desertas inhabitabit. Quid amplius? *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui, &c. Filij tui de longe venient: & filiæ tuæ de latere surgent, &c.* Et infrà: *Aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur: vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Et infra: *Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, &c.* Et cap: 44. *Leua in circuitu oculos tuos: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Deserta tua, angusta erunt præ habitatoribus, &c.* Adhuc dicent: *In auribus tuis filius sterilitatis tuæ: angustus est mihi locus, fac spatium mihi, vt inhabitem, &c. Afferent gentes filios tuos in vlnis: & filias tuas super humeros portabunt: & erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ, &c. &c.* Hæc tuo cœtui, Generose Domine, applica: si potes. Audiamus insuper Danielem, quid de amplitudine Regni Christi nunciet. *Omnes* (inquit) *populi, tribus, & linguæ ipsi seruient.* Ohe Prophetarum, sit iam satis. Christum ipsum, quos suæ Ecclesiæ limites præscribat, audiamus. *Oportuit* (ait Lucæ 24. ℣. 42.) *prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Vbi & quousque: *In omnes gentes incipiens à Ierosolyma.* Similiter: Act: 1. ℣. 8. *Eritis* (inquit) *mihi testes*: Vbi? *In Iudæa & Samaria.* Nihil amplius? *Immò* (inquit) *vsque ad vltimum terræ.* Similiter Matth: 28. ℣. 19. *Euntes* (inquit) *docete*: Quos? *Omnes gentes.* Erubescant ergo, Noui Donatistæ: qui amplissimam Christi hæreditatem, minoribus, & angustioribus longè includant cancellis; quam veteres fuerint Donatistæ ausi.

XXX. Triumphare hic possem, si armis S. Augustini, è sacro Codice desumptis, & in Donatistas frequentissimè iactis, Socinistas impetere vellem. Quia tamen, locus hic, copiam non patitur; vnum atque alterum eius profero argumentum. *Non timetis* (ait ad Vincentium Rogatistam) *non timetis* (inquam) *DD. Socinistæ*:) *ne vobis dicant Iudæi: Vbi est quod Paulus vester Ec-*

clesiam

clesiam vestram intelligit? Vbi dictum est: Lætare sterilis, quæ non paris, quoniam multi filij desertæ, magis, quàm eius quæ habet virum; præponens multitudinem Christianorum multitudini Iudæorum; si Christi Ecclesia est paucitas vestra? Hoccine illis dicturi estis; Ideò magis iusti sumus, quia pauci sumus? non attenditis eos responsuros! quodlibet vos esse dicatis, non tamen estis illi, de quibus dictum est: Multi filij desertæ si iam exiguo numero remansistis. Planè & Iudæi, & Pagani, si tam pauci essent Christiani, quam pauci vos estis, qui solos vos (Nota benè Generose Domine) *Christianos esse perhibetis, blasphemare vos non dignarentur: sed nunquam ridere cessarent.* Expende hæc Generose Domine? & vide: an non vel eo nomine, tuus tibi cœtus suspectus esse debeat: quod minor sit, non tantum Synagoga Iudæorum: sed & parte Donati & Rogati. Alterum eiusdem S. Doctoris argumentum est, quod è verbis citatis Psalmi 21. formauit. Referò illud ad literam. *Ecce Christus passus est: ecce pretium quod dedit: sanguis eius fusus est. In sacco ferebat pretium nostrum: fossus est saccus: & manauit pretium orbis terrarum. Quid mihi dicis o Hæretice? Non est pretium orbis terrarum? Africa sola* (*aut montana Minoris Poloniæ*) *redempta sunt? Non audes id dicere: totus* (ais) *orbis redemptus est: sed perijt. Quem inuasorem passus est Christus? vt perderet rem suam?* Ecce dicitur: *Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Vniuersi fines, dixit ò Hæretice. Ecce Christus passus est: sanguis eius fusus est: ecce Redemptor noster: ecce pretium nostrum. Quid emit? dicatur mihi. Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Sed Hæretici obliti sunt: & ideò id audiunt omni anno, &c. At forte vnus versus est. Aliunde cogitabas: cum Fratre tuo fabulabaris, quando illud dictum attende: quia repetit, & surdos pulsat. Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium. Adhuc surdus est: non audit: pulsetur iterum. Quoniam est Domini Regnum, & ipse dominabitur gentium. Tres istos versus tenete Fratres. Credite mihi: ita æstuo; vt mirer surditatem, & duritiam cordis ipsorum: vt aliquando dubitem an habeant illos in codicibus. Si est adhuc quod dicant; nescio; litigent cum Scripturis, non nobiscum. Ecce codex ipse: contra illum certent.* Et in

 fine.

fine. *Contra tam apertam & manifestè demonstratam possessionem Christi, non audiantur verba calumniatoris: quidquid contradicunt; homines dicunt: hoc autem Deus dicit.* Plena ſunt Sancti huius talium argumentorum volumina: quibus ceu ignitis telis, acies Donatiſtarum, qui ſe ſolos dicebant Chriſtianos, fortiſsimè & feliciſsimè expugnabat.

XXXI. Quocirca, quod idem S. Doctor ab Honorato Donatiſta petijt, idem ego à te Generoſe Domine, tuoque cœtu peto: *Eccleſiam Dei, vt de illa prophetatum eſt, per orbem terrarum diffuſam cùm videmus; arbitramur nos, dubitare non debere, de euidentiſſima completione Prophetiarum, quas Dominus etiam in Euangelio confirmauit: & Apoſtoli: per quos, eadem Eccleſia dilatata eſt. Dignare ergo reſcribere nobis: vt ſciamus; quomodo fieri potuerit, vt Chriſtus amiſerit hæreditatem ſuam, toto orbe diffuſam; eamq; in vobis ſolis habere cœperit. Veſtrum eſt, (ô Domini Sociniſtæ) hoc oſtendere. Nam noſtræ cauſa ſuffecit, quod compleri Prophetias, & Scripturas Sacras, per totum orbem videamus. Veſtrum eſt probare, quod incredulitas hominum fidem Dei euacuauerit: etſi hoc inter adynata retulerit Apoſtolus:* Roman: 3. ℣. 3, *Penes vos ſolos, ſi Chriſtum remanſiſſe dicitis; Chriſti gloriam, & veſtram extollatis, minuitis. Scriptum eſt enim* Prou: 14. ℣. 28. *In multitudine populi dignitas Regis: & in paucitate plebis, ignominia principis. Veſter autem cœtus, quantulus grex eſt?* Nos in Euangelio legimus: *Oportuit Chriſtum pati, & reſurgere, & prædicari in Nomine eius remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Verba ſunt Chriſti, commendantis gloriam, quam accepit à Patre, in latitudine regni ſui. Vtriſque collatis; cur non eius Eccleſiæ communionem eligamus, quam in omnes gentes diffundi hodieq; nouimus? Quis dicere poterit, nos malè elegiſſe, niſi qui, Chriſtum, dicat, malè docuiſſe? vos verò, qui omnibus gentibus, vbi hæc completa videtis, communicare non vultis; quomodo eſtis oues eius Paſtoris, cuius voci repugnates; amplitudinem Eccleſiæ eius, proteruiſſimè agnoſcere recuſantes: quam ijs ipſis locis, quibus agnoſcitis Chriſtum, non poteſtis non videre? Nam vbi* (ait S. Auguſt. Donatiſtis) *agnoſcitis eum,* de quo dicit Apoſtolus: *Abrahæ dictæ*

ſunt

ſunt promiſſiones, & ſemini eius, quod eſt Chriſtus: *ibi agnoſcitis Eccleſiam*: *de qua dicit* Deus ad Abraham: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Vbi agnoſcitis Chriſtum,* in Pſal: 2. de ſe loquentem: *Ego autem conſtitutus ſum Rex, &c. ibi agnoſcitis Eccleſiam, in eo; quod ſequitur*: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Vbi agnoſcitis Chriſtum* Pſal: 18. *Procedens Sponſus de thalamo ſuo, exultauit vt gigas &c. quomodo non agnoſcatis Eccleſiam, in eo, quod dicitur*: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? Agnoſcitis Chriſtum, vbi legitis* Pſal: 71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam filio regis; quâ ergo cæcitate fit; vt ibidem non videatis amplitudinem Eccleſiæ; vbi legiſtis, dominabitur à mari ad mare*: *& à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum? Agnoſcitis Chriſtum, in eo, quod* Sophon: 2. ℣. 11. *legitis. Præualebit Dominus aduerſus eos, & exterminabit omnes deos gentium terræ. Cur ergo oculis clauditis, ne ibidem Eccleſiæ latitudinem videatis, in illis verbis*: *Et adorabunt in conſpectu eius, vnuſquiſq; de loco ſuo, omnes inſulæ gentium. Omitto reliqua*: *quæ ibidem* (epiſt: ad Donatiſtas) *obÿcit S. Auguſtinus. Quomodo ergo credibile eſt*: *quod tanta Chriſti Domini hæreditas, tanto pretio empta, tantis Apoſtolorum Martyrumq; laboribus defenſa, ad ſubmontana vſq; Poloniæ latibula contracta ſit? quis credere poteſt? tam remiſſum fuiſſe Chriſti Domini in Sponſam amorem; vt etiam, quantumuis potuerit, Diabolicæ ſeruituti ſubtrahere neglexerit tantam ſui Regni conſeruandi iniuriam; vt illud hominum perfidiæ dederit in prædam.* Hîc iam G. D. excuſſa tandem oculorum amauroſi, vel luſcitione, lucis Euangelicæ radios, vltrò ſe ingerentes excipe. Hîc, mea ſumma voluntate, ita mei, ac tui, Cenſor & arbiter eſto: & collatis ijs, quæ dixi; & quæ legiſti; decerne: vter noſtrum metuere debeat, ne audiat; *Saule Saule, cur me perſequeris?* Suæ Eccleſiæ perſecutorem, hoc flumine, ſolo alliſit Chriſtus: vter verò noſtrum Chriſti Eccleſiæ perſequitor! ego an tu?

XXXII. Profiteor ego: Chriſti Sponſam, nunquam fuiſſe adulteram: & Chriſtum nunquam viduum fuiſſe. Profiteor,

hanc Ciuitatem ſupra montem poſitam, nunquam latuiſſe: ſed ſemper in ſuis firmiſsimis eminuiſſe. Profiteor, huic Domui, ſupra Petram ædificatæ, nullas hoſtium molitiones præualuiſſe: nullas vnquam prævalituras.

Firmiſsimè credo, (ô cordium cognitor DEVS) omni certitudine certiora eſſe verba: quæ per Ierem: 22. ℣. 40. dixiſti: *Feriam eis pactum ſempiternum: & non deſinam eis benefacere: & timorem meum dabo in corde eorum: vt non recedant à me.* Credo item veriſsima eſſe, quæ per Iſaiam cap: 33. eidem Sponſæ tuæ pollicitus es: eam fore *tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: cuius claui non auferentur in ſempiternum: cuius omnes funiculi non rumpentur*: & quæ, cap: 62. vbi ei dicitur: *Non vocaberis vltra derelicta: nec terra tua vocabitur amplius deſolata ſed vocaberis voluntas mea in eâ: & terra tua inhabitata: quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.* Ita profectò: ita Domine: terra hæc ſemper inhabitabitur: nunquam, tuis filijs, hæc domus, nunquam, tuis, hæc ciuitas, ciuibus carebit. Quid vltra? *Super muros tuos Ieruſalem, conſtitui cuſtodes: tota die, & tota nocte in perpetuum non ſilebunt.* Gratiæ tibi Domine IESV, gratiæ æternæ. Exhibuiſti te, fideliſsimum, vigilantiſsimum, fortiſsimum tuæ Sponſæ propugnatorem: cùm eam tantis muniuiſti excubijs: quarum operâ, omnium eius hoſtium inſultus ceſſerint in nihilum. Neque dubito, ad conſumationem ſæculi veriſsimum fore quod dixiſti. Cuſtodes Eccleſiæ tuæ nunquam taciturus: ſed & Catellos, (quorum minimus ego) tuæ ſponſæ cuſtodiæ pro modulo ſeruituros. Pergo vlterius. Profiteor ego, & firmiſsimè credo, nunquam Chriſtum, nunquam Spiritum S. ſuam præſentiam eidem Eccleſiæ ſubtracturum: certus fidei Diuinæ *Matth: 8. ℣. 20.* & *Ioan: 14. ℣. 16.* ei obligatæ.

Profiteor & credo, eandem Chriſti Eccleſiam, toto eſſe orbe diffuſam: eiuſque communione gaudeo: mihi ſummæ gratulatus, quod eius ſim ſeminis partus, in quo omnes gentes, ſe benedicturum iurauit Abrahæ Deus. Abſit: abſit à me: vt

vnquam

vnquam credam; Christum, sanguine parta hæreditate, & omnium gentium regno, exutum esse: vel aliquando exutum iri. Millies potiùs moriar: quàm vt assentiar vnquam: incredulitate hominum, fidem Dei euacuatam esse: eamque, quam ad vltimum terræ diffundendam prædixere Prophetæ, Ecclesiam, intra alicuius Prouinciæ angulos coniectam; & veluti incarceratam esse. Hæc ego de Ecclesia Christi cùm censeam; & credam; hæc sanguine proprio obsignare cum sim paratissimus, causam nullam metuendi habeo, ne fulmine illo, quo Ecclesiæ Christi persequutor, equo deiectus, in terramque prostratus fuit, feriar: neuè auribus meis vox illa insonet: quam tu in me ceu à Christo fulminatam iacis: *Saule Saule, cur me persequeris?*

XXXIII. Videiam, Generose Domine, vtri nostrum ab hoc fulmine maius immineat periculum? Vide, *inquam*: an non ipse potiùs vereri debeas; ne in illa hora, qua corporis solutus ergastulo, ante Summi Iudicis tribunal constiturus es; hæc à Iudice verba audias.

Saule Saule, cur me persequeris?

An non enim, ne sibi exprobretur persecutio Ecclesiæ, vereri debet? ille; qui, eam, cui perennitatem Prophetæ sunt polliciti, vix vnum sæculum integra in sponsum, fide, emensam, affirmat: ille, qui fidem Dei hominum infidelitate euacuatam prædicat: ille; qui Christi Sponsam, factam adulteram dicere audet: qui Christum, mille & amplius annis fuisse viduum, seu Sponsum sine Sponsa, Pastorem sine ouibus, Regem sine regno, caput sine corpore (prodigiosum profectò monstrum) profitetur: qui Christum hæreditate, summo pretio acquisita, à malis hominibus exutum affirmat: (quasi Christus vel adeò exilem eius tuendæ curam habuerit; vt eam sibi eripi permiserit: vel tam parum virium, vt quod proprio sanguine acquisiuit, retinere; & ab interitu prohibere nequiuerit:) ille, qui regnum Christi denunciata à Prophetis amplitudine exuit: longeque angustiori, quam olim Donatistæ, carceri includit: & taberna-

culum Dei, Apostolicolabore, toto orbe extensum, exilibus, sui cœtus, parietinis circumscribit. Iterum atque iterum, hæc tibi G. D. inculco : vt quo es iudicio, (quod sentio, quam sit excellens:) quo tuæ salutis amore, (quem arbitror esse summum : ideoque censeo ; te quoque nouum Saulum, si Domino placuerit facere te nouum Paulum, dicere valiturum: *Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci incredulitate.*) vt inquam, quò supremo vitæ diei propior es ; eò in hanc cogitationem accuratiùs incumbas ; tuusne cœtus, an Catholicus vera Christi Ecclesia sit: quæ â SPIRITV S. omnem doceatur veritatem.

Id enim assequutus, facilè qua es sapientiâ intelliges; cuius, in fidem Ecclesiæ, concedere ; cuius Magisterio priuatos sensus submittere ; cui credere debeas animæ tuæ gubernationem. Tuo te sensu regere si volueris: vide, ne in summum discrimen irreuocabilem iacias æternitatis aleam : & fallibili medico, æternam committas salutem. Perito innuere sat est.

XXXIV. Nosti optimè G. Domine, nullos vspiam fuisse Hæreticos, qui aliud quam Sacras Scripturas creparent. Qui Valentinianis, Marcistis, Marcionistis, Gnosticis fabulosiores & impudentiores fuere hæretici ? & tamen eos quoque, sacris literis, ad suos errores tuendos, falsa earum detorsione, fuisse abusos, testatur multis locis S. Irenæus, Tertullianus, Origenes, Epiphanius, & alij. Nimirum illis, qui in sui sensus vanitate ambulant ; propriamque Prophetiarum interpretationem, Apostolica monita, *2. Petri 1. ℣. 20.* nihil mirati, dogmatibus Ecclesiæ anteponunt ; in grauissimos errores ruere : eiusq; S. Scripturæ mantellum prætexere solenne est. Quorum in numerum, ne & tu G. Domine venias, etiam atque etiam cogita.

XXXV. Dissimulare nequeo, totis me artibus contremuisse ; cùm in Vindicijs Manium *fol: 104.* legi : verba illa Isaiæ. *Generationem eius quis enarrabit ?* te de Iudæorum impia generatione interpretatum. Bone Deus !

A temetipso eam interpretationem habes mi Domine, an

alij tibi dixerunt? (nihil hîc moror scomma, aut conuitium: quo me G. D. vltimo vind. folio, excepit:) si à temetipso? non possum non vereri; ne iam pœna illa Dei, quam Iudæis Deus per Isaiam *cap*: *6*. ℣. *9* & *10*. fuerat comminatus; tibi incubuerit. si ab alijs? quibus quæso? verba hæc primitiuæ Ecclesiæ Patres, de Christi sunt interpretati generatione: vt S. Clemens in Epistola prima ad Iacobum Fratrem Domini, Sanctus Irenæus *lib*:*2*. *cap*: *48*. & *lib*: *3*. *cap*: *21*. S. Iustinus libro contra Tryphonem aliquot locis, Author 99. Orthodox. insertus Volumini S. Iustin. *quæst*: *67*. Tertul. *lib*: *contra Iudæos*, *cap*: *15*. Origenes *lib*: 1. *contra Celsum*, Lactant. *lib*: *4*. *cap*: *18*. & plurimi alij: ita, vt neminem hactenus Sanctorum Patrum legerim; qui aliter hæc verba, quàm de Christi generatione intellexerit. Si Hebraizantes sequitur Generosus Dominus; ipse sui iudex sit; prudenterne sensus Sanctorum Patrum, Rabbinorum glosis posthabeat. Ponderet verba Sancti Clementis, producta è citata Epistola. Ita ibi loquitur: *DEVS PATER*, *Secreti Sacramenti vocabulum est*: *cuius verè FILIVS*, *est VERBVM*: *Speculum & Character & Imago viuens PATRIS*: *eiusdem Naturæ*, *& in Diuinitate genitus*, *& per omnia Patri æqualis*. *Ne quæratur*: *quomodo genuit Filium*: *quod & Angeli nesciunt*: *& Prophetis incognitum est*. Vnde illud dictum: *Generationem eius quis enarrabit*? *quam secretam originem*, *cum proprio Filio*, *nouit ipse solus*: *qui genuit*. Hæc S. Clemens: quem à SS. Petro & Paulo Apostolis, quibus conuixit, sensa Scripturarum, veriora didicisse ijs, quæ ab Hebraizantibus confinguntur, nequeo dubitare. Cùm ergo in illa hora, qua à te Generose Domine, creditorum, & Scriptorum rationem reddituro, omnes Sancti Patres nouæ interpretationis exigent rationem: quid prætendis? Socinos? Rabbinos? Hebraizantes? tuum sensum? at quo euentu? nihil affirmo: tu, qui tuæ cuti propior es, diligenter expende: an non te oporteat, & ante vltimum vitæ diem, negatæ Sanctorum Patrum fidei, Socinis, vel Rabbinis nimis indulgenter habitæ, pœnitere?

XXXVI. Et quoniam, eô iam delapſus ſum, quod mea maximè intendit Paræneſis; quando aliud, vti maximè vellem, præſtare non ſufficio; meque tantæ inſtruendæ menti, quantum in te veneror, imparem agnoſco; per IESV CHRISTI ſanguinem oro: vt antequam ſuprema vrgeat dies; tuorum dogmatum tabulas excutias: penituſque inſpicias, an non aliquid, (quod abſit) docueris, æternis ignibus expiandum: & ſi quid deprehenderis, (vt quidem deprehenſurum reor: ſi tibi, quærendæ veritatis, quam retinendæ inter tuos exiſtimationis, cura fuerit antiquior:) Catholicæ Eccleſiæ ſententiæ, te, tuaque ſubmittas: atque ei ſemini, in quo omnes gentes, fidem ſui verbi exſoluente Deo, etiamnum benedicuntur; particeps eſſe velis. Id quod facere, ſi vel pudore vano, vel nimia tui æſtimatione, vel Principatus, in tuo cœtu, appetione, renueris; iam nunc præuide; quos in illa die, habiturus ſis antagoniſtas. Stabunt contra te, hæreſeonque poſtulabunt, Apoſtoli: quorum verba, peruerſa interpretatione, ad tuendos Socinianos errores, detorſiſti. Stabunt Martyres, quos veluti tuæ Sectæ fautores, & à SANCTISSIMÆ TRINITATIS confeſſione alienos, publicis ſcriptis, ſumma veritatis iniuriâ, traduxiſti: Stabunt Pontifices, Epiſcopi, Viri Apoſtolici, qui gentes, ab Apoſtolis non aditas, & ſeruituti Sathanæ, gentiliumque erroribus ereptas, Chriſti dominio ſubegerunt: Stabunt plurimi therapeutæ, thaumaturgi, Eremitæ, & miræ admodum auſteritatis Religioſi; Antonij, Benedicti, Franciſci, Dominici, Ignatij. Stabunt tot millia Doctorum, & Theologorum, qui per tot ſæcula, Eccleſiam Chriſti doctiſſimis lucubrationibus illuſtrarunt. Stabunt denique (quod erit luctuoſiſsimum) illæ ipſæ animæ: quas tua prædicatione, vel ſcriptione, in grauiſsimas hæreſes inductas, in æternæ ſalutis periculum, vel iacturam coniecisti. Quid hic mi Domine facies? quid; tot, tantiſque oppones Actoribus.

XXXVII. Dices credo: (quod tua ſcripta loquuntur) homini-

hominibus te inniti noluisse: solum Deum in Scripturis loquentem sequi voluisse.

At vbi audies; Sanctos quoque Patres omnesque tuos aduersarios, Scripturas legisse: expendisse; interpretatos esse: eorumque interpretationem Orbis Christiani assensu, magnisque subinde sequentibus signis, confirmasse Deum: quid contra vel hisces? Quid si adhuc audies? non par erat te Orbis Christiani clamori, tuis hæresibus anathema dicenti, aures commodare? quid si contra te Prophetica Oracula producentur? Meministi verborum Moysis? Deuter: 32. ℣. 7. *Memento,* (inquit) *dierum antiquorum: interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi: Maiores tuos: & dicent tibi.* Similia loquitur Salomon: Prou: 22. ℣. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Et Syrach: 8. ℣. 9. *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium: ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, &c. Non te prætereat narratio Seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum: & in tempore necessitatis* (quæ in hora mortis summa est futura) *dare responsum.* Et Iob. 8. ℣. 8. *Interroga generationem pristinam: & diligenter inuestiga Patrum memoriam: & ipsi te docebunt: quia* (addit c. 12. ℣. 12.) *in antiquis est sapientia: & in multo tempore prudentia.* Et Ieremias 6. ℣. 16. *State super vias: & videte: & interrogate de semitis antiquis: quæ sit via bona: & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Quid ergo poteris respondere? quid pro causa afferre; quòd semitas antiquas dedignatus, Nouorum te Scripturæ interpretum, aut tuo proprio, sensui, commiseris?

XXXVIII. Ignosce G. Domine: si eandem cramben, fortasse ad fastidium, recoquam. Tuæ, mea quantacunque molestia, saluti consulere velim: aut, illud minimum persuadere: ne, æternæ salutis periculo, aliorum seruias voluntati. Medicus, qui à quocunque seruulo audierit, medicinæ, à se infirmo porrigendæ, immersum araneum; manum ab ea propinanda retraheret: aut saltem in Care, vel cane, faceret periculum.

 Tuis,

Tuis, G. Domine, dogmatibus, à multis millibus, Sanctorum doctorumque virorum, obijcitur: Mors in olla, vide ne te, aliosque, huius catapotij propinatione sempiternæ morti addicas. Cogita: quid tot animæ, quarum salutis tuam animam vadem fecisti, contra te, dicturæ acturæuè, in die nouissimo sint? quo te oculo, earum emptor admodum sumptuosus, aspecturus; si (quod Deus auertat) ab æternæ beatitudinis consortio exciderint? Si homines quantumuis nobis similes, alicuius nobis confusionis conscij, intueri non possumus; quid tu, G. D. coram Christo, & innumerabili Augustissimæ TRINITATIS exercitu facies? nonnè tuam faciem commissi conscientia, plumbeæ instar sarcinæ deorsum premet? Cogita mi Domine: quæ supplicia animicidis sint timenda: quos inter, ne à Summo Iudice referaris; est quòd timeas, Christianus Orbis, (ignosce Domine: veritatem enim me euangelizare oportet; nisi eius proditæ damnari velim:) totus, inquam propè, Christianus Orbis, te animicidij accusat. Præiudicium hoc ne contemnas. Non de asini vmbra disceptatur. Nulla satis magna securitas, vbi periclitatur æternitas. Quantaquanta, illi impenditur cura, in lucro est. Quidni ergo, dum licet, tibi consulis G. Domine? cur non tempestiuè cogitas, quæ pacis sunt? Iam æterni Iudicis Tribunal oculos ferit, iam cominùs cernitur aduentare Iudex: præeunt Iudicij Satellites: senium: morbi dolores. Mox in summo foro sistendum erit vadimonium: & de sorte æterna dimicandum: periculosissimo profectò certamine: in quo bis errare non datur. Siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ab huius Iudicij sententia, lignum ceciderit; ibi æternùm erit. Quàm fælix igitur futurus, qui, in eo foro, loqui poterit de præparato? quàm beatus, qui, amicorum Iudicis, quàm plurimos, habebit suæ causæ Fautores?

XXXIX. Eam igitur, ego tibi G. Domine felicitatem animitus precor: tua vt dogmata, ad amussim SS. Patrum, exigas; neque aliud, quàm quod illi docuêre, credere velis. dogmatibus omni-

omnibus, quæ illi repudiarunt, renuncies: neque in alia fide, quâm in qua vixere illi, mortem oppetere velis: vt ita ab eorum authoritate, certum habeas præsidium: & à suffragio fauorem. Inter alia verò magnopere velim: vt Sanctissimæ Deiparæ, supplicare incipias; aut si cœpisti, ne desinas: vt, è Virginei cordis gazophylacio: quo, omnia Christi Domini verba, totos triginta tres annos, fidelissimis excepta auribus, asseruabat; purissimam tibi Euangelicæ veritatis lucem communicari, à Dilectisimo Filio impetret, proque sua summa, in homines sibi quantillumcunque addictos, benignitate, suis te adsciscat clientibus: quem, è Sociniano cœtu, primum habuit laudatorem. Nos, qui, cum magna iucunditate gaudemus: cùm audimus; quàm exultantis Pastoris humeris reportetur ouis quæ errauerat: & quanti gaudij solennitas beatarum mentium personet penetralia, vno peccatore pœnitentiam agente: & qui non tenemus lachrymas; Filij prodigi ad benignissimum Patrem reditum, audientes; vel legentes; quid maioribus expetierimus votis? quàm vt & tu Generose Domine, cœli Ciuibus optatissimam tuâ conuersione parias festiuitatem: & porrò Catholicos omnes, tuo recreatos aduentu, & SANCTISSIMÆ TRINITATIS exhibita à te veneratione, facias exultare: maximisque Summo Numini persolutis laudibus, gestientibus pectoribus canere: *Epulari & gaudere oportet, quia hic Frater noster, mortuus erat, & reuixit: Perierat, & inuentus est.*

O FIAT! FIAT! Ita voueo:

Tuæ Generosæ Dominationis

Seruus in Christo minimus

Nicolaus Cichouius Soc: IESV.

HARMONIA
Catholicæ Fidei,
DE
DEO: CHRISTO: DEIPARA:
&
Fidei Sanctorum Patrum Primitiuæ Ecclesiæ

Articulus Primus.

Credimus Catholici, DEVM eſſe Trinum in Perſonis, vnum in eſſentia.

Hoc ipſum credidere Apoſtoli, & SS. Patres.

Primo ſeculo hi.

PRimus S. Petrus: qui in Actis à S. Lino ſcriptis, antequam crucifigeretur, ita orauit: *Domine* IESV CHRISTE, *Domine & Magiſter meus: Tu es mihi omnia; In te viuimus, mouemur, & ſumus. Omnia mihi in te ſunt: mihi totum es, & totum quid es, tu mihi es, &c. Tibi gloria cum Patre & Spiritu Sancto: nunc & in omnia ſecula ſeculorum.* Et paulò

ante. *Domine* I E S V *Christe, &c. tu ex Deo Deus: & lux vera ex vero lumine, ante omnia secula: in fine seculorum, pro omnibus, sine contagio hominis, homo fieri dignatus.*

Idem apud S. Prochorum, mox citandum, ita Coaposto-los alloquitur: *Notum est vobis Fratres: quomodo Dominus noster, præceperit nos ire in vniuersum orbem, prædicare Euangelium omni creaturæ & baptizare in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, &c. Ergo Fratres charissimi, per gratiam Trinitatis, impendamus nos in opus nobis à Domino mandatum.* Idem in Liturgia, edita à Lindano Episcopo Gandauensi, Sacrificij propositionem orsus, ita orat: *Sicut ouis ad lanienam ductus est, &c. Generationem eius quis enarrabit? Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vel vt apud S. Chrysostomum habetur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat, &c.* Et mox: *Benedictum Regnum Patris, & Filij, & Spiritus S. nunc, & semper, &c.* Et paulo infra habentur hæc verba: *Te decet omnis gloria, & adoratio, & tibi gloriam offerimus, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* Et inferius: *Vnigenitus Filius, & Verbum Dei, cùm sis immortalis, dignatus es propter nostram salutem, carnem sumere, de Sancta Dei Genitrice* M A R I A, *semper Virgine: qui crucem subijsti, Christus Deus: morte conculcans mortem: qui vnus es de Sancta Trinitate, conglorificatus Patri, & Sancto Spiritui, saluos nos fac, &c.*

Secundus S. Ioannes; de quo discipulus eius, S. Prochorus in Historia, de vita eius refert: cap: 5. *Quod Ephesios docuerit, de vna sola Diuinitate Patris, Filij, & Spiritus Sancti: quem deberent adorare: & quod tres hypostases sint: vna substantia.* Idem refert eodem capite, S. Apostolum ita orasse: *Domine* I E S V *Christe, ostende his hominibus: quia tu es verus Deus, & non est præter te alius Deus.* Et infra, pro interfectis Ephesijs, ita supplicasse: *Domine* I E S V *Christe: qui semper es cum Patre verus Deus, qui in terras descendisti, exaudi, &c. vt sciant te verum Deum: & credant in te, qui me misisti.*

Idem refert multis locis: quòd S. Ioannes docuerit *creden-*

dum esse, in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: & cap: 21. scribit: quòd idem Sanctus, Pythonem ita exorcizauerit: *Hæc ego præcipio tibi, in Nomine Sanctæ Trinitatis.*

Tertius S. Iacobus in Liturgia: cuius authoritatem, & fidem, eruditi viri, Sixtus Senensis, Iacobus Pamelius, & alij apud Posseuinum firmissimè tuentur, ita initio illius orat: *Benedictus es, Domine Deus noster, cum Christo* IESV *Domino nostro, vnâ cum omnibus modis Sancto & Bono, & Consubstantiali tali Spiritu in sæcula, &c.*

Et infra: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Trino & Vniluci Diuinitatis, quæ est singulariter in* TRINITATE, *& quæ sine diuisione diuiditur*: *Trinitas enim, vnus Deus, Omnipotens, &c.*

Et infra: *Te Domine* IESV, *Dei sermo, vnà cum æterno Patre tuo, & omnimodè Sancto, & viuifico Spiritu tuo, gloria docet: nunc, & semper, &c.*

Et infra: *Tibi Domine Deus noster, ter sanctum Hymnum mittimus, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc, & semper, &c.*

Et infra: *Tibi gloriam, & gratiarum actionem referamus, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc, & semper, Amen.*

Et infra: *Deus es pacis, & misericordiæ, &c. Tu & Vnigenitus Filius tuus & Spiritus tuus Sanctus, nunc, & semper, Amen.*

Et infra: *Impleatur os meum laude tua Domine: Patris; Amen. Filij; Amen. Spiritus Sancti; Amen.*

Et propiùs fini: *Domine Deus noster, Verbum Dei incomprehensibilis: & Consubstantialis Patri, & Spiritui Sancto: coæterne & inseparabilis, &c.*

Et inferius: *Glorificamus te solum viuentem, & verum Deum nostrum, Sanctam & Consubstantialem Trinitatem,* PATREM, & FILIVM, & SPIRITVM SANCTVM, *&c. Tibi à nobis debetur gloria, honor, adoratio, gratiarum actio, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc, & semper, Amen.* Ibidem notanda de Spiritu Sancto verba post consecrationem dici solita: *Deus seruator noster, &c. Mitte super nos, Spiritum tuum Sanctissimum, Dominum viuificum,*

cum te Deo Patre, & Filio vnigenito tuo assidentem, simul regnantem, consubstantialem, coæternum, &c.

Quartus S. Marcus in Liturgia edita, à Cardinali Sirleto ita inter alia orat: *Tibi Domine Deus, tibi gloriam, & gratiarum actionem, & trisagium Hymnum offerimus: Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: nunc, & semper, &c.*

Et infra: *Te decet omnis gloria & honor, adoratio & gratiarum actio, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, nunc, & semper, &c.*

Et infra: *Dominator Domine* IESV *Christe, coæternum Verbum æterni Patris, & Spiritus Sancti.*

Et infra propiùs fini: *Domine Deus noster, incomprehensibile Dei Verbum; Patri, & Filio, & Spiritui Sancto consubstantiale, & coæternum, & principio, vt illi carens suscipe, &c.*

Et in fine: *Tibi gloriam sursum mittimus, Patri & Filio, & Spiritui Sancto: nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.*

Quintus S. Clemens Romanus, SS. Petri & Pauli discipulus, in Epistola prima ad S. Iacobum scripta, ita loquitur: *Omnes homines, qui Christiano censentur vocabulo; Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum Deum, & Dominum, veraciter credere & confiteri; eumq́; toto corde diligere oportet, &c.*

Et infra: *Apostoli, Symbolum ediderunt, summam totius fidei Catholicæ recensentes, in qua & integritas credulitatis ostenditur: & declaratur, vnius Dei Omnipotentis, id est, Sanctæ Trinitatis æqualitas: & mysterium Incarnationis Filij Dei: qui pro salute generis humani de cœlo descendens, de Virgine nasci dignatus est.*

Idem in Constit: Apostolicis, lib: 3. c. 18. Orationem Dominicam ita concludit: *Tuum est regnum & potestas, & gloria Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nunc, & semper, &c.* quæ doxologia repetitur ab eô lib: 8. c. 12. *Tibi omnis gloria, veneratio, & gratiarum actio, honor & adoratio, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; nunc, & semper, & in infinita & sempiterna sæcula.*

Et cap: 15. *Tibi* (ô Pater) *gloria, laus, magnificentia, adoratio, & Filio tuo Christo, Domino nostro, & Deo, & Regi, & S. Spiritui, nunc, & semper, &c.*

Deni-

Denique his verbis; *cum quo* (Christo) *tibi* (Pater) *sit gloria, honor, cultus, veneratio, adoratio, & S. Spiritui, nunc, & semper, &c.* concludit *libri octaui cap: 16 18. 21. 22. 29 38. 39.* Ita S. discipulus, quod à suis Sanctis Magistris didicerat, in frequentissimum reducebat vsum. Erubescant ergo, qui dicere audent; nunquam in Primitiua Ecclesia inuocatum vel adoratum esse Spiritum S. & qui palam profitentur se nolle eum honorem exhibere Filio, quem exhibent Deo Patri.

Idem Sanctus eam ipsam fidem professus est: cùm Christum vocat Deum nostrum & Dominum: *l. 2. c. 24.* & *l. 8. c. 1.* Deum & Saluatorem nostrum: *l. 8. c. 1.* quod eum didicisse credo ab Apostolis: qui frequentissimè in Liturgijs Christum vocant, Deum & Saluatorem: vt inde manifestè colligatur: Sanctum Paulum, locis illis ferè omnibus, quibus Dei & Saluatoris meminit; intellexisse Christum. Item cùm ait, *lib: 5. c. 6.* ad Christum dicta esse verba illa Genesis: *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* & cùm *cap: 19.* docet de Christo dicta esse verba illa Salomonis: *Deus creauit me intium viarum suarum, &c.* Et illa Genesis: *Dominus à Domino pluit ignem.* Et illa Baruch: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum, &c.* & cùm ibidem dicit: eandem Filij Personam visam à Iacobo: & à Moyse in rubo: & ab Abraham hospitio exceptam: & à reliquis Prophetis prædictam esse; Dominum, Regem, Vnigenitum Deum. Denique idem profitetur: cùm *lib: 2. c. 24.* ait: *Christum creandi potestatem à Patre accepisse: authoremq; viri & mulieris esse:* & cùm l. 7. c. 26. ait: *Gratias agimus tibi Pater, pro vita nobis per Christum ostensa: per quem vniuersa fecisti: vel per quem* (cap: 27.) *mundum, & quæ in eo continentur, condidisti: qui omnia ex nihilo,* (cap 18 c. 12.) *per Vnigenitum* VERBVM, *omnia sæcula genuisti: sine vllo medio: Filium Vnigenitum:* VERBVM DEVM: *qui* (l. 7. c. 35.) *per Christum vniuersa condidisti: qui per eum intio dispposuisti, & ornasti incondita &c qui per Christum* (ibid: cap: 37.) *mundum fabricatus es: & Sabbatum, huius fabricationis memoriæ dedicasti.* Et in Recognit: lib: 9. (*Deus, per Filium suum,*

suum, creauit mundum, tanquam duplicem domum interiectu firmamenti huius, quod cœlum appellantur) Eant nunc Sociniſtæ: & negent, (ſi audent) *Chriſtum eſſe cœli & terræ, omniumq́; quæ in eis continentur, Creatorem.* Vel hic ſolus S. Pater in die nouiſſimo; os eis obturabit: hæreſiſque grauiſſimæ eoſdem conuincet.

Sextus S. Dionyſius Areopagita. Is lib: de Eccleſia Hierarchia, cap: 1. ita loquitur: *Principium Hierarchiæ eſt* TRINITAS: *quæ eſt fons vitæ, bonitatis eſſentia, vna cauſa rerum omnium, &c. Huius autem diuiniſſimæ beatæq́; naturæ, quæ rebus omnibus præſtat, trina eſt Vnitas: vereq́; eſt eo modo: quem nos quidem ignotum, ipſa autem cognita habet.*

Et lib: de Diuinis Nominibus c. 1. *In omnibus ferè diuinis libris Thearchiam videmus ſanctè decantatam: vt Monada quidem & vnitatem ob ſimplicitatem & vnitatem ſupernaturalis impartibilitatis: vt* TRINITATEM *verò, ob triperſonalem* (τρισυπόστατον) *manifeſtationem,* (ἐκφαντικ) *ſuperſubſtantialis fœcunditatis; à qua omnis Paternitas, in cœlo eſt: & nominatur.*

Et infra: *quod diximus illud vnum, incognitum, ſuperſubſtantiale, per ſe bonum* (αὐτοαγαθὸν) *quod eſt; trinam vnitatem dico: eiuſdem Deitatis, & eiuſdem bonitatis:* (τὴν ὁμόθεον, καὶ ὁμοαγαθόν) *nec dici, nec cogitari poſſibilem.* Similia habentur ibidem, capite ſecundo: vbi inſuper prolixè probatur: Diuina attributa, æquè Filio, & Spiritui Sancto, ac Patri conuenire, & explicantur: quæ in Diuinitate coniuncta & communia: quæ propria, & notionalia ſint; ad quæ remitto lectorem, altioris iudicij, & eruditionis: plebeiũ enim & vulgarem ſenſum, excedunt.

Rurſus c. 13. hæc habet: *Theologia totam Thearchian, vt omnium cauſam celebrat, vnius appellatione: vnuſq́; Deus Pater: & vnus Dominus* IESVS *Chriſtus: & vnus atque idem Spiritus,* (dicitur) *ob ſuperexcellentem totius Diuinæ vnitatis impartibilitatem: in qua, omnia ſigillatim collecta & coniuncta ſunt.*

Et infra: *Diuinitas, quæ (eſt) ſuper omnia, Vnitatis & Trinitatis nomine celebrata: non eſt Vnitas, nec Trinitas, à nobis, aut alio quopiam*

piam existentium, cognita. Sed vt singularem vnionem eius, & diuinam fœcunditatem verè laudemus, Trinitatis, Vnitatisq; nomine, omne nomen excedentem Diuinitatem appellamus.

Ampliùs, librum de mystica Theologia ita orditur: *Trinitas supersubstantialis, & Diuinissima, Christianorum Theologiæ dux, dirige nos, &c.*

Et cap: 3. *Diximus, quomodo Diuina bonaq; natura, dicatur vnica: quomodo trina: quod nam sit ex hac dictum, Patris & Filij nomen:* (vel loquendo ad literam:) *quanam secundum hanc dicatur Paternitas, & Filiatio: quid velit significare S. Spiritus Theologia, &c.*

Septimus S. Martialis in Epist: ad Burdeg, ita scribit c. 10. *De Mysterio Trinitatis, quam Deus per nostram annunciationem vobis reuelare dignatus est; scitote: quia vltra omnem sensum Angelicarum Potestatum, vera Diuinitas excellit. Sola enim* TRINITAS *in Diuinitate Vnitatis seipsum mouit. Hæc enim ante secula in claritate suæ æternitatis permanebat: vnius æternitatis: vnius voluntatis: vnius essentiæ.*

Et infra: VERBVM *est Principium, quia de Principio ineffabiliter gentium. Spiritus verò Dei, non est genitus sicut* VERBVM, *quia & ipse Spiritus in Diuina æqualitate, gloriosus processit ineffabiliter; ab eo qui genuit, & ab eo qui genitus est. Itaque Spiritus Dei non genitus, non factus, non creatus, sed procedens est à* PATRE & VERBO. *Itaque nihil discretum in Diuinitate Trinitatis sentiatis: quia vobis, vnus & idem Deus, &,* (Nota benè G. D. Iona) *qui cuncta creauit: Pater, & vnus, & idem Dominus, per quem omnia facta sunt,* IESVS CHRISTVS, *& vnus idemq; Deus* SPIRITVS *Sanctus, in quo omnia subsistunt, & hæc in Personis tria diuisa, in Diuinitate, vnus Deus indiuisus est.*

Octauùs S. Ignatius in epist. ad Philip. ita scribit: *Dominus mittens Apostolos, ad docendum omnes gentes, præcepit eis, vt baptizarent in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: non in vnum trinominem, nec in tres Incarnatos, sed in tres eiusdem honoris.*

Et in Epistola ad Magnesianos: *Qui ante secula genitus fuit apud* PATREM, *Deus Verbum, Vnigenitus Filius, in sæculorum consummatione, idem permanet. Nam regni eius non erit finis.* Et infra: IESVS

Christus

Christus FILIVS *Dei est* VERBVM *non pronunciatum, sed substantiale. Nec enim est articulati sermonis vox, sed Diuinæ efficaciæ genita essentia.* Et infra: *Quomodo nos sine eo Christo viuere poterimus, qui dicebat: Antequam Abraham fieret ego sum: quem vt Præceptorem ac Dominum expectabant Prophetæ, dicentes: Ipse veniet, & saluabit nos? Isai. 25. ℣. 4.* Et infra: *Hæc scribo vobis: vt plenam de Christo cognitionem habeatis, qui ante omnia secula natus ex Deo Patre: post verò natus est ex* MARIA *Virgine.*

Et in Epistola ad Tarsenses: *Quomodo hic merus homo; & qui vt esset, ex* MARIA *cepisset exordium; & non potiùs* DEVS VERBVM, *& Vnigenitus Filius. In Principio enim erat* VERBVM, *& Verbum erat Deus.* Et alibi: *Dominus creauit me initio viarum suarum, & ante secula fundauit me. Et* (quod paulò ante ibidem adducitur:) *antequam Abraham fieret, ego sum.* Et: *glorificabis me gloriâ quam habuit, antequam esset mundus.* De quo porrò homine dicebatur? *In mundo erat; & mundus per ipsum factus est?* Hactenus S. Ignatius. Videte hîc Domini Socinistæ, vestrone an nostro sensu S. iste Patriarcha & Martyr, verba S. Scripturæ fuerit interpretatus. Videte item, an non primo Christianitatis sæculo, vestra de Christo sententia damnata sit. Cogitate etiam atque etiam: an non grauis blasphemiæ reus sit Socinus, in Animadu. ad Theses Posnanień. fol: 31. blaterare ausus: quod qui dicunt, VERBVM DEVM antequam nasceretur ex Virgine extitisse, imitentur stultissimum Homericum Margiten, qui ambigebat, ipsene an Mater eius natu grandior esset. Nimirum qui omni honore Christum exuerat, moriturum se putabat: ni item SS. omnes Patres, omni honore exutos, stultissimosque appellatos sui cœtus impij ludibrio propinaret.

Rursus idem in Epistola ad Philadelph. ait: *Vnus est ingenitus Deus & Pater: vnus vnigenitus Filius, Deus Verbum, & Homo, vnus Paracletus, Spiritus veritatis: vna Ecclesia; quam suis laboribus fundarunt SS Apostoli, à finibus terræ, vsque ad fines in sanguine agni.*

Et ibidem: *Si quis Deum vnum prædicat, legis & Prophetarum*

Christum

Christum IESVM; (arrigite aures Sociniſtæ: & agnoſcite: an rectè intelligatis illud Apoſtoli; 1. Ioan: 5. ℣. 1. *Qui credit, quoniam* IESVS *eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt*) *ſed eum nudum eſſe hominem putet; non autem Deum vnigenitum; Sapientiam; & Verbum Dei; ſed ſola illum anima & corpore conſtare cenſet, huiuſmodi ſerpens eſt: fraudem & errorem prædicans in exitium hominum.*

Rurſus in Epiſt: ad Antiochen, ita ſcribit: *Attendentes Apoſtolicæ doctrinæ & Prophetis, abijcite omnem gentilem & Iudaicum errorem: vt nec multitudinem introducatis deorum; nec prætextu vnius Dei, negetis Chriſtum.*

Moyſes enim vnum prædicans Deum, verbis illis, Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt; continuo confeſſus eſt, & Dominum noſtrum dicens: Dominus pluit ſuper Sodomam, à Domino ignem & ſulphur. Et rurſus. *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Et: *Fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit illum.* Et adductis alijs Prophetarum locis, tandem ait: *Et Euangeliſtæ dicentes, vnum Patrem ſolum verum Deum, non reliquerunt ea, quæ propria ſunt Domino noſtro, ſed ſcripſerunt: In principio erat Verbum, & Verbum erat Deus. Omnia per ipſum facta ſunt, &c.* Quibus & alijs Apoſtolicis verbis, expenſis ita concludit: *Omnis ergo, qui annunciat vnum & ſolum Deum, vt tollat Chriſti diuinitatem, is eſt diabolus, & hoſtis omnis iuſtitiæ.*

Et in fine: *Is, qui ſolus ingenitus eſt, per eum, qui ante ſecula natus eſt, cuſtodiat vos.*

Et in Epiſtola ad Heronem: *Chriſtus natus eſt ex ſola Virgine: quod eiuſmodi partus decebat Deum. Decebat namque Creatorem, admirando vti partu vt omnium opificem.*

Et in Epiſtola ad Ephes: *Dominus noſter, & Deus* IESVS *Chriſtus primum fecit: & tunc docuit.* Et infra: *Filius Dei ante ſeculageni tus, vbi iuxta Patris voluntatem omnia condidiſſet; natus eſt ex ſemine Dauid, conceptus de Spiritu ſancto.*

Denique Epiſt: ad Rom: docet. *Eccleſiam Romanam eſſe illuminatam in omnibus quæ pertinent ad fidem, & claritatem* IESV *Chriſti Dei & Saluatoris noſtri.*

Et infra: *Offero me igni, ferro, cruci, dum modo Christum videam, Saluatorem & Deum meum, qui pro me mortuus est.*

Conferat hæc Generosus Dominus, cum suæ Sectæ confessione, & (si quo est veritatis studio) iudicet: an non ea, Dogmatibus S. Ignatij θῆς θεοπατων dissonet.

Objicit ex Epistola ad Tarsenses reprehensionem eorum: qui dicebant; Christum super omnia Deum. At qui tandem fuêre illi? Poterat id G. Dominus, si voluisset ediscere ex Epistola ad Trallianos: vbi, illi reprehenduntur, qui credebant Christum esse ingenitum: & ex Epist: ad Philip. vbi eos ita arguit: *Quomodo* (inquit) *necdum ex Virgine natus, tibi videtur Christus, sed Deus Pater: qui est super omnia? Quis igitur hunc misit?*

Et infra: *Cùm Christum eximis à nascendi lege; ingenitum doces genitum esse. Ignoras tu quid sit ingenitus, &c.* Denique in ipsa Epistola ad Tarsenses, in Græco textu hæc verba sunt: *Quod autem ipse non sit super omnia Deus & Pater; sed Filius, &c.* per quæ verba, sola hæresis Monarchica tollitur. Hanc enim hæresim vocat Tertull. Monarchicerum. quam ex Asia Romam induxit Praxeas.

Nonus S. Anacletus: in Epistola omnibus Ecclesijs scripta; ita habet. *Quisque diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam: & venerandam SS.* TRINITATIS *imaginem in seipso agnoscat.*

Et infra: *Consiliarium & protectorem meliorem reperire non poterit, quam illum; qui eum ad imaginem sui condidit, qui eum pretioso sanguine redemit: & propter eum homo fieri non est dedignatus.*

Hoc item credidere Secundi sæculi Patres.

PRimus S. Euaristus Papa in Epistola ad Ecclesiam Africanam, ita scribit: *Sunt quidam insidiatores, qui docent de solo Patre dictum esse, quod solus lucem habitet inaccessibilem, eos Apostolicis retrant*

percutite

percutite ferulis. Non enim solus Pater sine Filio, lucem habitat inaccessibilem, quia vbi Pater est, ibi etiam Filium esse indubitabili fide credendum est. Nam si solus Pater sine Filio lucem habitat inaccessibilem; necesse est, vt sequestratam Pater à Filio habeat mansionem. Absit hoc à cordibus fidelium Christo in vnitate Fidei adhærentium: quoniam, vt non obest Patri; cùm Sapientia, quæ est Filius, gyrum cœli sola dicitur circumire; ita non obest Filio, cùm solus Pater dicitur inaccessibilem lucem habitare. Pater igitur inuisibilis & ingenitus in se, in Filio à se ineffabiliter genito, mansisse ac requieuisse monstratur: ipso Filio in Euangelio loquente: Pater in me manens, facit opera hæc. *Et:* Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris. *Si in sinu Patris erat Filius ab initio; & ex corde Patris Verbum bonum, eructatum est; quomodo non lucem cum eodem inaccessibilem habitasse credendus est? Nunquid Pater sine illa luce potuit commanere: cùm præsertim idem Filius Candor sit lucis æternæ, & speculum sine macula Deitatis?*

Et infra: *Si Filius Deus verus, & vita æterna est; sine dubio, in hac luce, simul cum Patre habitare credendus est, &c.* Ad hoc propositum in fine adducit illa verba S. Ioannis: *Scimus: quia Filius Dei venit, & dedit nobis sensum: vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.*

Secundus S. Alexander Papa in Epistola prima scribit: *Fidem Sanctæ Trinitatis docendam, à Patribus accepimus: vobisq; tradendam subditis destinamus.* Isaias Propheta ait: *Vidi Dominum Sabaoth: & Seraphin stabant, &c. & canebant alter ad alterum, dicentes:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. *Si Trinitas non est; quare tertiò Sanctus dixerunt? si vnitas non est, quare sub trina repetitione vnum Deum ac Creatorem intimarunt? si Trinitas non est, quare Dauid tertiò dixit:* Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus? *si vnitas non est, quare cùm Deum tertiò nominasset, non benedicant dixit, sed benedicat? quare in Apocalypsi tertiò dixit;* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat: *si Vnitas non est; quare non, qui sunt, & qui erant, pluraliter designantur?*

 Postre-

Postremò: si Trinitas non est; quare Dominus, discipulos, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vniuersas gentes misit baptizare? Si Vnitas non est; quare in nomine dixit, non in omnibus? Si Trinitas non est, quare Apostolus Paulus ait; Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia? *si vnitas non est, quare ex ipso posuit, non ex ipsis? Si certo certius volueritis vnitatem Trinitatis agnoscere, à Doctore gentium Apostolo poteritis vniuersa condiscere: & sequi Catholicam fidem.* Gratia Domini Nostri IESV Christi, (*inquit*) & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis: & sic fidem Sanctæ Trinitatis, intelligere, & discere, Domino adiuuante potestis.

Tertius Sixtus Primus Papa in Epistola de Vnitate Dei, ita loquitur: *Fidem rectam vos tenere oportet; vt dissentientes ab Apostolica non sitis doctrina. vnum enim verum Deum, Patrem & Filium, à Prophetis & Apostolis ostendimus prædicatum, à quibus etiam Spiritum Sanctum credimus non esse discretum: Esaia Propheta dicente:* Ego sum Deus, & non est alius præter me. Et per me ipsum iuro, quia mihi curuabitur omne genu, &c. *In quo testimonio, Patrem simul & Filium vt cognoscatis, Paulum audite dicentem:* Vt in Nomine IESV omne genu flectatur; cœlestium; terrestrium; & infernorum.

Et infra, Deus apud Esaiam (c. 41.) ait: *Ego sum Deus, præter me non est alius Deus: vnum ergo hi qui non sanè capiunt, eligant è duobus: aut fateantur Patrem & Filium esse vnum Deum: aut si solum Patrem Deum esse contendunt; Ergo illis Dominus* IESVS *Christus, Deus Filius, non erit Deus: quia scriptum est:* Ante me non est alius Deus; & post me non erit. *Si secundum tales ita est; cur Apostolus* (Rom: 9.) *ait eum esse Deum super omnia benedictum? Isaias dicit cap. 45.* In te est Deus, & nesciebamus: & non est alius præter te. *Quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus Pater; cùm alium Deum non esse, Propheta sæpe profiteatur? Ieremias item:* Hic Deus noster, (*ait*) & non applicabitur alter ad eum, &c. post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. *State ergo dilectissimi, super vias:*

per vias: aspicientes & interrogantes de semitis antiquis Domini; & videte: quæ est via Domini recta, & ambulate in ea, inuenietis requiem animabus vestris.

Quartus Hyginus Papa in Epistola Catholica ita scribit: *Ioannes Euangelista ait: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum.* Et iterum alio loco: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in terra: Aqua, Sanguis, & Caro. Tres in nobis sunt, qui testimonium perhibent in cœlo:* PATER, VERBVM, & SPIRITVS, *& hi tres vnum sunt. Nos itaque in natura Deitatis, quia vnum sunt Pater & Filius, & Spiritus sanctus; nec Patrem credimus aliquo tempore præcessisse, vt maior sit Filio: nec Filium postea natum esse, vt Deitate Patris minoretur.*

Quintus Soter Papa in Epistola Episcopis Campaniæ scripta, hæc loquitur: *Verbum Caro factum est: & habitauit in nobis. Filius ergo secundum carnem dicitur factus: nam secundum diuinitatem, nusquam legitur factus, sed genitus; dum enim Pater loquitur, Filius loquitur, & cùm Filius loquitur, Pater in illo loquens, documentis cœlestibus comprobatur.*

Sextus S. Iustinus, in Expositione Fidei, ait: *Vnus verè est vniuersorum Deus, inq; in Patre, Filio, & Spiritu sancto agnoscitur. Pater ingenitus est, à quo Filius genitus est & Spiritus sanctus processit. Non ergo idem est Filius, & Spiritus sanctus, qui Pater. Nam hæc verba, ingenitum, genitum, procedens, non sunt nomina naturæ essentiæq;, sed existentiæ modi: modusq; existentiæ his nominibus denotatur: essentiæ autem significatio, nomine Dei designatur; ita, vt distinctio Patris à Filio, & Spiritu sancto sit iuxta existentiæ modum, vnitas autem vel identitas iuxta essentiæ rationem.*

Et infra: *Vt Adam etsi genitus non sit, eis tamen, qui ex se progeniti sunt, iuxta essentiæ vnitatem communione coniungitur: sic nulla ratio, communionem substantiæ Patris ad Filium & Spiritum sanctum, etsi Pater ingenitus sit, distrahere poterit. Nomina ergo ingeniti, geniti, procedentis, non essentiam declarant, sed hypostases. Possunt nobis satis distinguere Personas: & Patris, Filij, Spiritus sancti propriè indicare hypostasim.*

stasim. Atque id postquam multis S. Scripturæ locis probauit, tandem ita concludit: *Quapropter, par est: vnum nos profiteri Deum, qui in Patre, Filio, & Spiritu sancto intelligitur: ita tamen: vt hoc ipso, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, id quod commune est Personarum, in natura & essentia intelligamus. Nam & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate intelligitur.*

Deniq; totus hic liber, tam enucleatè altissimum hoc SS. Trinitatis mysterium explicat, vt ad illud intelligendum, nihil amplius, quam cœleste lumen præiudicatæ opinionis expulsiuum, videatur posse desiderari. Et si vero non ita clarè loquatur, in libris contra Gentiles & Iudæos editis, (nec enim par erat margaritas proijci ante porcos) tamen etiam in eis Diuinitatem prææternam Filij Dei manifestè prædicat: cùm *eum, esse illum ipsum Deum Israelis, qui ab Abraham est adoratus: qui cum Moyse, Iacobo, alijsq; Prophetis loquutus fuerit: fuisse verbum, per quod omnia condita sunt; ante omnes creaturas genitum, quod Sapientia à Salomone vocatur: ab alijs aliquando Deus, aliquando Filius: quem in creatione hominis alloquutus sit Pater:* Faciamus hominem: *etsi ea verba: vt ibidem refertur,* deprauare, & ad vnam personam trahere conentur Iudæorum Rabbini: quos hac in parte studiosissimè imitantur Socinistæ.

Idem in Apologia ad Senatum Romanum, circa finem, ita scribit: Verbum, quod ex Deo, qui Principio caret, ortum habet, secundum Deum adoramus, & complectimur: quod causâ nostrâ, homo factus est.

Idem in Apologia, ad Antonium Primum, non procul à fine, ita scribit: Filius cùm Verbum Primogenitum Dei sit, Deus quoque est: qui antea, ignis figura, & imagine incorporea, Moysi, cæterisque Prophetis, apparuerit; nunc vero imperij vestri temporibus, per Virginem homò effectus, pro salute ei credentium, mori voluit: vt moriens: atque resurgens mortem vinceret.

Septimus Athenagoras, in Apologia pro Christianis, ita scribit: Filius Dei, est Verbum Patris, in Forma & Actu. Ab ipso enim, & per

per ipsum creata sunt omnia: cùm Pater, & Filius vnum sint: ita, vt Filius sit in Patre, & Pater in Filio, per vnitatem & potentiam Spiritus: si quidem mens & verbum Dei, Filius Dei est: Primigenia Patris progenies, quæ non vt facta (à principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in seipso habet τον λογον, cum perpetuò rationalis sit) sed vt rerum cunctarum, perfectio foret; progressum est. Concinit verò Orationi nostræ, etiam Spiritus Propheticus: *Dominus* (inquit) *creauit me principium viarum suarum in opera sua.*

Quin etiam illum ipsum, qui operatur, in illis, qui prophetice loquuntur; Spiritum sanctum propaginem dicimus esse Dei, ab eo emanantem veluti radium solis. Quis igitur non miretur, qui audiat nos dici impios, qui prædicamus Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum sanctum, demonstrantes eorum in vnitate potentiam, in ordine distinctionem?

Et infra: Nos id agimus: vt Deum, & ab eo procedens verbum (*addit Langius æquali honore & potestate*) cognoscamus: vt intelligamus: quæ sit Filij cum Patre vnitas; (*ita vertit Suffridus Leouardiensis*) quæ sit Patris cum Filio communio; quid sit Spiritus: quæ trium istorum vnio: quæ discretio vnitorum, Spiritus scilicet, Filij, & Patris.

Et infra: Vt Deum dicimus, & Filium ipsius Verbum, & Spiritum sanctum. (cum Suffrido ita lego: *Langius enim vertit*: potentia quidem, & virtute, & substantia) vnitos, subsistentia verò & Personis discretos: *Interpres verò Sacræ Bibliothecæ insertus*, tria quidem secundum potentiam, actu verò & essentia vnum: quia Filius Patris, mens & Verbum, & Sapientia est: & Spiritus *ab eodem*, (*vel iuxta Suffridum*) *ab vtroque*, & lux ab igne profluit: ita & alias potentias esse cognoscimus, &c.

Octauus S. Irenæus lib: 1 cap: 2. ita loquitur: Christo IESV Domino nostro, & Deo, & Saluatori, & Regi, secundum placitum Patris inuisibilis, omne genu curuatur.

Et lib. 3. cap: 6. Cùm verè Pater sit Dominus, & Filius verè sit

rè ſit Dominus; merito; eos Spiritus ſanctus; Domini appellatione ſignauit: *Pſal*: 109. & *Geneſ*: 19. *verbis enim illis*; Dominus pluit ignem à Domino, Filius ſignificatur: qui & Abrahæ colloquutus ſit: & à Patre acceperit poteſtatem ad iudicandum Sodomam. *Similiter habet illud 44. Pſal.* Propterea vnxit te Deus, Deus tuus. Vtroſque enim Dei appellatione ſignificauit Spiritus: & eum qui vngitur Filium: & eum qui vngit Patrem. *Et iterum*: Deus Deorum Dominus loquutus eſt; *Pſal*: 49. Quis Deus? de quo dixit: Deus manifeſte veniet, & non ſilebit: hoc eſt: Filius, qui ſecundum manifeſtationem, hominibus aduenit.

Et lib: *eodem cap*: 10. Magi per munera quæ obtulerunt, oſtenderunt: quid erat qui adorabatur. Mirrhâ quidem: quod ipſe erat, qui mortali genere moreretur: Auro, quoniam Rex, cuius regni finis non eſt. Thure verò, quoniam Deus, qui notus in Iudæa factus eſt, & manifeſtus eis, qui non quærebant eum. *Iſai*: 65. ℣. 1.

Et infra: Chriſtus ſecundum quod Verbum Dei homo erat ex radice Ieſſe; ſecundum hoc à Spiritu ſancto vngebatur ad Euangelizandum humilibus, ſecundum quod autem; Deus erat; non ſecundum gloriam iudicabat: nec ſecundum loquelam arguebat: cùm ipſe ſciret; quid eſſet in homine.

Et cap: 20. In Chriſti nomine ſubauditur, qui vnxit (Pater) & ipſe qui vnctus eſt, (Verbum Homo) & ipſa vnctio, in qua vnctus eſt: (Spiritus Sanctus.)

Et lib: 4. *cap*: 51. Pater generis humani, Verbum Dei eſt, quemadmodum Moyſes oſtendit, dicens: *Nonne hic ipſe Pater tuus, poſſedit te, & creauit te?*

Et lib: 5. *cap*: 17. Chriſtus peccata remittens, manifeſtè oſtendit: quis eſſet. Si enim nemo poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus; remittebat hæc autem Dominus; & curabat homines; manifeſtum eſt: quoniam ipſe erat Verbum Dei, Filius hominis factus; à Patre poteſtatem remiſsionis peccatorum accipiens: quomodo homo, & quomodo Deus: quomodo homo, com-

mõ, compassus est nobis: quomodo Deus, misereatur nostri: & remittat nobis debita nostra.

Et cap: *18.* Verè mundi factor, Verbum Dei est: hic autem est Dominus noster: qui in nouissimis temporibus homo factus est. *Et cap*: *28.* Homo initio plasmatus est, per manus Dei, id est, Filij & Spiritus.

Nonus S. Theophilus Patriarcha Alexandrinus, in Expositione Euangelij S. Matthæi, lib: *1. ait*: IESVS Christus humilitatis studio filium esse hominis dicebat, cùm esset & per Patrem Deus; & per Matrem homo. *Et ibidem*: Margarita pretiosa est Trinitas S. quæ diuidi non potest; nam in vnitate consistit. *Et infra non procul à fine*: Filius Dei, qui Deus ex Deo est, diem Iudicij ignorare non poterat, quippe dixit Ioannis 16. *Omnia Patris mea sunt.* Si ergo natura Patris in Filio erat; scientiæ natura degenerare non poterat. Ergo Diuinitas vna Patris, & Filij, diem & horam nouerat, quam creauit: non poterat autem nosse humana fragilitas, quod vtiliter ignorabat.

Et lib: *3. in Lucæ 13.* Helias Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum annunciabit. Tunc Sancti confessuri sunt Trinitatem, impij verò, diaboli sequentur doctrinam. *Et lib*: *4. in 14. Ioan.* Sciendum est, quòd Christus Dominus ita verus homo, vt verus Deus est: de Patre Deo Deus: de Matre homine homo. Illic cùm diceret, Pater maior me est: (secundum hominem: hîc cùm dicit, Ego & Pater vnum sumus) secundum Deum loquutus creditur: iuxta quam rationem etiam reliqua, quæ æqualitatem cum Patre, aut humilitatem eius humanitatis sonant; facilè intelliguntur.

Hoc ipsum crediderunt Patres Tertij Seculi.

PRimus *S. Hippolytus, Portuensis Episcopus, in Oratione de Consummatione mundi, ita scribit*: Tunc Christo Iudici responderunt:

iusti: Tu es, qui semper es. Tu vnà cum Patre cares principio, & coæternus es Spiritui sancto. Tu es, qui nos creasti, & finxisti è terra. Tu es, qui inuisibilia condidisti. *Et in fine:* Quod consequi nobis contingat, gratiâ, beneuolentiaque Domini nostri IESV Christi, cum quo Patrem eius, initio carentem, cum sacrosancto & viuifico eius Spiritu, nunc & semper decet gloria, honor, & adoratio. *Et in lib: de Deo Trino & Vno, contra Noeti heresim:* Quod autem dicit Apostolus: Quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula; pulchrè enarrat mysterium veritatis. Hic, qui est super omnia, Deus est: sic enim audet dicere, omnia mihi sunt tradita à Patre. Genitus & factus homo. Deus est in sæcula: *Sic enim Ioannes ait;* Qui est, & qui erat, & qui venturus est Deus omnipotens. Rectè vocauit omnipotentem Christum. Hoc enim dixit, quod Christus testabitur dicens: *Omnia mihi sunt tradita à Patre.*

Et infra: Non dixit Christus, Ego & Pater vnum sum: sed vnum sumus: Illud enim sumus, non dicitur de vno: sed sic dixit, quia duas Personas demonstrauit: vnam verò potentiam. *Et infra:* Necesse est, vt (*Noëtus*) quamuis nolit, confiteatur Patrem Deum Omnipotentem: & Christum IESVM Filium Dei, Deum factum hominem: & Spiritum sanctum: & hos, esse verè tres. Quod si vult scire, quomodo vnus Deus demonstretur; sciat esse vnam virtutem siue potentiam huius. *Et propiùs fini:* Si Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, quid ergo? dicetne aliquis; dicere Ioannem duos Deos: Duos quidem non dicam; sed vnum: Personas verò duas: Oeconomiam tertiam. Aliter Deum vnum intelligere non possumus: nisi verè Patri & Filio, & Spiritui sancto credamus.

Secundus S. Gregorius Neocæsariensis Thaumaturgus, in Expositione Fidei, ita loquitur: Trinitas perfecta, gloria, & æternitate, regno & imperio, non diuiditur: nec abalienatur. Non igitur creatum quid in Trinitate; nec aduentitium: quasi prius non

existens,

existens, pôsterius verò aduenient. Non defuit vnquam Filius Patri: nec Filio Spiritus, sed immutabilis & inuariabilis, eadem semper manet Trinitas.

Et in altera Fidei Expositione: Si quis dicit, Filium esse Deum, tanquam ipsum etiam plenum Diuinitate; & non tanquam genitum ex Diuinitate: negauit verbum: negauit sapientiam Dei: cecidit in culturam creaturæ: apprehendit impietatem gentilium, & ad eam reuersus est. *Et infra*: Oportet, sicut vnam gloriam confitemur; sic vnam substantiam, scilicet Diuinitatem Trinitatis confiteri.

Et rursus: Credimus tres Personas, vnam habentem Diuinitatem declarari Nominibus, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Et deinde*: Si vna Diuinitas in tribus Personis dicitur, Trinitas affirmatur, & vnitas non scinditur: & vnitas naturalis Filij, & Spiritus sancti: cum Patre prædicatur.

Tertius S. Cyprianus: qui in Epistola ad Iubaianum hæc scribit: Dominus suis Discipulis cùm dixit: *Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: insinuauit Trinitatem, cuius Sacramento gentes baptizarentur.

Et paulò inferius: Ipse Christus gentes baptizare iussit, in plena & adunata Trinitate. *Idem lib: 2. contra Iudæos toties decem capitibus multis S. Scripturæ testimonijs probat: Christum esse Sapientiam Dei: à Salomone & Ecclesiastico descriptam: esse Verbum, quo cœli solidati sunt: esse verum Deum, iam olim in Genesi descriptum, &c.*

Et in lib: ad Nouatianum: Christus Discipulis præcepit, vt baptizarent in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vt & Trinitas illa, quæ sub Noë per columbam figuraliter operata est, nunc in Ecclesia spiritualiter operetur.

Et in sermone de Natiuitate Christi: Consiliarius dictus est Paruulus iste: quod secreta Dei hominibus abscondita reuelauit: & cùm nemo nosset Patrem nisi Filius: ipse arcana Dei reserans, indaginem Trinitatis explicuit; loquens Patri, & â Patre responsum accipiens, & Spiritum sanctum infundens Discipulis, gene-

generationis & processionis intimans rationes, subtiliter astruens Personarum Proprietates, & indissolubilis essentiæ vnitatem.

Et in sermone de Baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis. Tibi soli, (ô Christe) nota est Trinitas: solus Pater scit Filium: Patremque nouit Filius: nec à quoquam, nisi eo reuelante cognitus. In hac Diuina magisterij schola, Pater est qui docet: Filius qui arcana Dei reuelat: Spiritus sanctus, qui nos replet ac imbuit. A Patre potentiam, à Filio sapientiam, à Spiritu sancto accipimus innocentiam. In Patre sumus, in Filio viuimus, in Spiritu sancto mouemur, & proficimus.

Idem in sermone de Spiritu sancto, sat prolixo, manifestè conuincit: Spiritum sanctum esse Diuinam Personam.

Quartus S. Dionisius Papa, apud S. Athanasium: lib: de Decret: Nicœnæ Synodi hæc habet: Vniri necesse est omnium Deo, Dei verbum, & in eodem hærere, versarique Spiritum sanctum, & sanctam Trinitatem, in vnum omnium rerum Deum, omnipotentemque consumari, & coalescere. *Et infra:* Non ergo diuidenda est in tres deitates admirabilis, & Diuina vnitas, & immensa Maiestas, sed credendum est, in Deum Patrem, & in Filium eius IESVM Christum, & in Spiritum sanctum: vnirique Deo totius vniuersitatis Verbum. Ego enim (*inquit*) & Pater vnum sumus. Ita & Diuina Trinitas, & sancta prædicatio, professioque Monarchiæ, conseruatur.

Quintus S. Felix Papa, qui in Epistola tertia Decretali, ad Benignum Episcopum hæc scribit: Si sereno sensu Diuinas recenseas Scripturas, inuenies non solùm Patrem, Filio testimonium perhibentem, sed totam simul inseparabilem Trinitatem ipso Domino protestante: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Et de Spiritu sancto: *Cùm venerit Paracletus Spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de me.* Intende, quæso, quoniam in quibus, vna testificationis virtus ostenditur, nullus ab alio, nec potior, nec inferior iudicatur.

Sextus S. Eustachius Papa, in Epistola Decretali ad Episcopos Bethicos ita loquitur: Eiusdem periculi res est, IESVM Christum, vel Spiritum sanctum, Deum non credere, vel carnem nostri corporis in Christo denegare.

Septimus Clemens Alexandrinus, in Protreptico sermone hæc habet: Qui ex Dauid ortus est, ante ipsum fuit: Dei Verbum: quod hũc mundum atque etiam paruum mundum nempe hominem, & eius animam ac corpus, sancto Spiritu concinnauit.

Et infra: Dei Verbi, sumus figmenta, ratione prædita: quoniam in principio erat Verbum, quod ab alto petita origine, diuinum vniuersorum principium; & fuit: & est. Hoc Verbum, ille Christus, vt & nos olim essemus; (erat enim in Deo) & vt bene essemus, causa fuit. *Et infra*: Ioannes præco Verbi adhortabatur, paratus esse ad Dei Christi aduentum. *Et infra*: Crede homo, homini & Deo: crede homo Deo viuenti, qui passus est, & adoratur. Credite serui mortuo, omnes homines credite ei, qui solus est Deus, ex omnibus hominibus. Quærite Deum, & viuet anima vestra.

Et infra: Verbum Diuinum reuera est Deus manifestissimus; qui est vniuersorum Domino exæquatus: quoniam eius erat Filius: & Verbum erat in Deo.

Et in Pædagogo, cap: 1. Christus est Sapientia, & Verbum Patris: qui fabricatus est cœlum. *Et cap: 3.* In omnibus prodest, & in omnibus iuuat Dominus: & tanquam homo, & tanquam Deus: peccata remittens, vt Deus: ne peccemus autem, instituens vt homo.

Et cap: 8. Nihil odit Deus. Sed nec Verbum. Vtrumque enim vnum est: nempe Deus. Dixit enim: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. *Et lib: 7. Stromatum*: Dei virtus siue potestas est Filius: vt pote ante omnia quæ sunt genita, Verbum Patris maximè principale: & eius sapientia.

Octauus Origenes: qui Homil: 9. in Exodum hæc habet: Funiculus

 culus

generationis & processionis intimans rationes, subtiliter astruens Personarum Proprietates, & indissolubilis essentiæ vnitatem.

Et in sermone de Baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis. Tibi soli, (ô Christe) nota est Trinitas: solus Pater scit Filium: Patremque nouit Filius: nec à quoquam, nisi eo reuelante cognitus In hac Diuina magisterij schola, Pater est qui docet: Filius qui arcana Dei reuelat: Spiritus sanctus, qui nos replet ac imbuit. A Patre potentiam, à Filio sapientiam, à Spiritu sancto accipimus innocentiam. In Patre sumus, in Filio viuimus, in Spiritu sancto mouemur, & proficimus.

Idem in sermone de Spiritu sancto, sat prolixe manifestè conuincit: Spiritum sanctum esse Diuinam Personam.

Quartus S. Dionisius Papa, apud S Athanasium: lib: de Decret: Nicœnæ Synodi hæc habet: Vniri necesse est omnium Deo, Dei verbum, & in eodem hærere, versarique Spiritum sanctum, & sanctam Trinitatem, in vnum omnium rerum Deum, omnipotentemque consumari, & coalescere. *Et infra:* Non ergo diuidenda est in tres deitates admirabilis, & Diuina vnitas, & immensa Maiestas, sed credendum est, in Deum Patrem, & in Filium eius IESVM Christum, & in Spiritum sanctum: vnirique Deo totius vniuersitatis Verbum. Ego enim (*inquit*) & Pater vnum sumus. Ita & Diuina Trinitas, & sancta prædicatio, professioque Monarchiæ, conseruatur.

Quintus S. Felix Papa, qui in Epistola tertia Decretali, ad Benignum Episcopum hæc scribit: Si sereno sensu Diuinas recenseas Scripturas, inuenies non solùm Patrem, Filio testimonium perhibentem, sed totam simul inseparabilem Trinitatem ipso Domino protestante: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Et de Spiritu sancto: *Cùm venerit Paracletus Spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de me.* Intende, quæso, quoniam in quibus, vna testificationis virtus ostenditur, nullus ab alio, nec potior, nec inferior iudicatur.

Sextus

Sextus S. Eustachius Papa, in Epistola Decretali ad Episcopos Bethicos ita loquitur: Eiusdem periculi res est, IESVM Christum, vel Spiritum sanctum, Deum non credere, vel carnem nostri corporis in Christo denegare.

Septimus Clemens Alexandrinus, in Protreptico sermone hæc habet: Qui ex Dauid ortus est, ante ipsum fuit: Dei Verbum: quod hũc mundum, atque etiam paruum mundum nempe hominem, & eius animam ac corpus, sancto Spiritu concinnauit.

Et infra: Dei Verbi, sumus figmenta, ratione prædita: quoniam in principio erat Verbum, quod ab alto petita origine, diuinum vniuersorum principium; & fuit: & est. Hoc Verbum, ille Christus, vt & nos olim essemus; (erat enim in Deo) & vt bene essemus, causa fuit. *Et infra*: Ioannes præco Verbi adhortabatur, paratus esse ad Dei Christi aduentum. *Et infra*: Crede homo, homini & Deo: crede homo Deo viuenti, qui passus est, & adoratur. Credite serui mortuo, omnes homines credite ei, qui solus est Deus, ex omnibus hominibus. Quærite Deum, & viuet anima vestra.

Et infra: Verbum Diuinum reuera est Deus manifestissimus; qui est vniuersorum Domino exæquatus: quoniam eius erat Filius: & Verbum erat in Deo.

Et in Pædagogo, cap: 1. Christus est Sapientia, & Verbum Patris: qui fabricatus est cœlum. *Et cap*: 3. In omnibus prodest, & in omnibus iuuat Dominus: & tanquam homo, & tanquam Deus: peccata remittens, vt Deus: ne peccemus autem, instituens vt homo.

Et cap: 8. Nihil odit Deus. Sed nec Verbum. Vtrumque enim vnum est: nempe Deus. Dixit enim: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. *Et lib*: 7. *Stromatum*: Dei virtus siue potestas est Filius: vt pote ante omnia quæ sunt genita, Verbum Patris maximè principale: & eius sapientia.

Octauus Origenes: *qui Homil*: 9. *in Exodum hæc habet*: Funicu-

culus triplex non rumpitur, TRINITATIS fides, ex qua dependet, & per quam sustentatur tota Ecclesia. *Et Homil: 11. in Numeros.* Sanctus SPIRITVS ita Sanctus, vt non sit sanctificatus. Non enim ei extrinsecus accessit sanctificatio: sed semper fuit Sanctus: nec initium, sanctitas eius accepit. Eodemque modo de Patre & Filio intelligendum est. Sola enim Trinitas substantia est, quæ non extrinsecus accepta, sed sua natura sit sancta.

Et Homil: 12. in Numeros. Puto, quod scientia ingeniti Patris, vnus posſit intelligi puteus: vnigeniti Filij agnitio, alter puteus. Alius enim est à Patre Filius: & non idem Filius, qui & Pater. Et rursus, tertium puto videri posse puteum, Spiritum sanctum. Alius enim & ipse est à Patre & Filio, vt in Euangelio dicitur: *Mittet vobis Pater alium Paracletum, Spiritum veritatis.* Est ergo hæc trium distinctio Personarum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto: quæ ad pluralem puteorum numerum reuocatur. Sed horum puteorum vnus est fons. vna enim est substantia & natura TRINITATIS.

Et in Expositione Capitis 3. ad Rom. Fidere dicimus in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; eum qui integram substantiam, plenam perfectamque, qui nihil diuersum, nihil discrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur.

Et in Expositione illorum verborum: qui est Deus super omnia benedictus. Qui super omnes est, super se neminem habet. Non enim post Patrem ipse, sed de Patre. Hoc autem etiam de sancto Spiritu docetur, cùm dicitur: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, &c.* Si ergo Filius Dei, super omnes dicitur; & Spiritus sanctus continere omnia memoratur, Deus autem Pater est, ex quo omnia, euidenter ostenditur, Natura Trinitatis; quæ est super omnia. *Specialiter idem S. Spiritus personalitatem & subsistentiam describit in Periarcho cap: 3.* De subsistentia Spiritus sancti, nemo potuit suspicari, præter eos, qui in lege & Prophetis versati sunt: vel eos, qui se Christo credere profitentur. De Spiritusancto quod sit, docent nos Scripturæ *Psal: 50.* Spiritum sanctum

ſanctum tuum ne auferas à me. *Et in Daniele* dicitur Spiritus ſanctus qui eſt in te. In nouo verò Teſtamento abundantiùs id docetur. *Ioan: 2. Luc: 1. 1. Cor: 12. Act: 8. &c. Ibidem idem cap: 1. ait:* Spiritus ſanctus ſubſiſtentia eſt intellecturalis, & propriè ſubſiſtit, & extat. *Idem Hom: 26. cap: 3. S. Lucæ ſcribens, reprehendit quoſdam Hæreticos, qui in verbis illis,* Mittam vobis Paracletum, Spiritum veritatis; *nolebant intelligere tertiam Perſonam à Patre & Filio, & Diuinam Naturam, ſed Apoſtolum Paulum. Idem ſublimiſſimè loquitur de Spiritu ſancto, in recenſito libro: ſuffecerit aliquid è lib: 2. cap: 7. delibare.* SPIRITVM ſanctum (*inquit*) tantæ eſſe Maieſtatis & potentiæ oſtendit Euangelium, vt dicat: Apoſtolos, non potuiſſe capere ea, quæ docere ea Saluator volebat; niſi cùm aduenìret Spiritus ſanctus; qui ſe earum animabus infundens illuminare eos poſſet, de ratione ac fide Trinitatis.

Nonus Tertullianus: qui etſi impugnando Praxeam & Patropaſſianos, in aſſignanda Filij & Spiritus ſancti à Patre diſtinctione, ſubinde excedat: tamen vrgente veritatis conſcientia, non ſolùm Trinitatem Diuinarum Perſonarum inter ſe diſtinctarum feruidè tuetur: ſed etiam earundem conſubſtantialitatem.

Hoc indicant verba eius ipſius libri, cap: 2. Peruerſa ſententia eſt: quæ exiſtimat ſe meram veritatem poſsidere, dum vnicum Deum non aliàs putat credendum, quam ſi ipſum eundemque & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum dicat, quaſi non ſic quoque vnus ſit omnia, dum per ſubſtantiæ vnitatem, ex vno omnia, & nihilominus cuſtodiatur οἰκονομίας Sacramentum, quæ vnitatem in vnitatem diſponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: tres autem non ſtatu, ſed gradu; non ſubſtantia, ſed forma; non poteſtate, ſed ſpecie; vnius autem ſubſtantiæ, & vnius ſtatus, & vnius poteſtatis: quia vnus Deus, ex quo & gradus iſti; & Formæ, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, deputantur.

Et cap: 12. Si te numerus ſcandalizat Trinitatis, quaſi non connexæ in vnitate ſimplici; interrogo: quomodo vnius pluraliter

raliter loquitur: Faciamus hominem ad imaginem noſtram, cùm debuerit dixiſſe: Faciam hominem ad imaginem meam? *Et infra:* Ecce factus eſt Adam quaſi vnus ex nobis: fallit aut ludit; vt cùm vnus & ſolus ſit, numeroſè loquatur? aut nunquid Angelis loquebatur, vt Iudæ; (*eoſq; imitatus Smalcius,*) interpretantur: quia nec ipſi Filium agnoſcunt: an quia ipſe erat Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus? immò quia iam adhærebat illi Filius, ſecunda Perſona, Verbum ipſius: & tertia Spiritus, in ſermone ideo pluraliter pronunciauit: Faciamus: Noſtram: Nobis. *Et infra:* Sed & cætera, idem fecit, qui priora: lucem, luminaria, firmamentum, id eſt, Verbum Dei, per quem omnia facta ſunt. Qui ſi ipſe Deus eſt ſecundum Ioannem (Deus erat ſermo) habes duos: alium dicentem vt fiat: alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas; iam profeſſus ſum, Perſonæ non ſubſtantiæ nomine. (*En repetita conſubſtantialitas*) ad diſtinctionem non ad diuiſionem. Cæterum vbique teneo vnam ſubſtantiam, in tribus cohærentibus.

Et cap: 13. Nos, qui tempora, & cauſas Scripturarum, per Dei gratiam inſpicimus, maximè Paracleti, non hominum diſcipuli, duos quidem definimus, Patrem & Filium, & iam tres, cum Spiritu ſancto, ſecundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum: ne (*vt veſtra peruerſitas infert*) Pater ipſe credatur natus, & paſſus: quod non licet credi: quia non ita traditum eſt. Duos tamen deos, & duos Dominos nunquam ex ore noſtro proferimus: non quaſi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, & Deus vnuſquiſque, ſed quia, &c. *Videatur iſthic prolixior diſcurſus. Breuiùs hoc ipſum explicatur cap: 19.* Si ideò eundem Patrem & Filium credunt, vt vnum Deum vindicent; ſalua eſt vnio eius: qui cùm ſit vnus, habeat & Filium æquè ac ipſum, eiſdem Scripturis comprehenſum. Si Filium nolunt ſecundum à Patre reputari, ne ſecundus, faciat duos Deos dici: oſtendimus etiam duos Deos, & duos Dominos in Scriptura relatos, & ne de hoc ſcandalizarentur, rationem reddidimus,

mus, qua non duo Dij, nec Domini dicantur. Sed quia Pater, & Filius, duo: & hoc non ex separatione substantiæ, sed ex dispositione: cum indiuiduum & inseparatum Filium à Patre pronunciamus; nec statu, sed gradu alium: qui etsi Deus dicatur, cùm nominatur singularis; non ideò duos Deos faciat, sed vnum: hoc ipso quod Deus ex vnitate Patris vocari debeat.

Et cap: 25. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres vnum sunt: non vnus, quomodo dictum est, Ego & Pater vnum sumus, ad substantiæ vnitatem non ad numeri singularitatem. *En & hîc vnitas substantiæ in tribus Personis agnoscitur. Decimus citari posset Catholicæ veritatis assertor Nouatianus: libro Operibus Tertulliani adnexo: nisi is, factus hæresiarcha, se memoria dignum reddidisset. Eius ergo loco sit S. Dionysius Alexandrinus, qui Pauli Samosatheni hæresim: (cui suam Confessionem consonam esse Socinistæ in lib. contra duos pasquillos edito, & contra Volanum Resp. 1. fol: 48 disertissimè profitentur) singulari lib. multis rationibus impugnat: vbi etiam multò ante Concilium Nicœnum, dôcet Filium esse Patri consubstantialem.*

Nicœni Concilij nullam facerem mentionem, nisi etiam hoc Fidei Catholicæ Ecclesiæ aduersari, Generosus Dominus Ionas dixisset. Nimis eum illud oscitanter legisse aduerti: ideoq; censeo me operam non lusurum, si ei quædam eo in memoriam reuocauero. Ita ergo ibi Osius Præses Synodi Nicœnæ, & Romani Pontificis Vicarius loquitur: Diuinitas non est vna Persona, vt Iudæi opinantur: sed tres Personæ, verè subsistentes: non solo nomine.

Et infra: Nouum Testamentum, Verbum Deum esse demonstrauit, (iuxta illud: *In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum*) & personam perfectam ex perfecta. Deus enim est, Filius: perfectus, sicut & Pater. Eiusdem essentiæ, cuius &. qui eum ineffabili modo genuit, Pater. Sicut Pater, & Filius, simul subsistit Spiritus sanctus: eiusdem essentiæ, & eiusdem potestatis, cuius Pater & Filius. *Et paulò post.* Vnam Diuinitatem, eandemque essentiam confiteri nos oportet: non prædicantes Beatæ Trinitatis Personarum confusionem, sed TRINITATEM indiuiduam, ineffabilem omni intellectu, & sermone maiorem, vnam Diuinitatem, in eandem ipsius essentiam credentes.

Idem in Responsione Philosopho cuidam per Leontium Episcopum data, pluries repetitur; vnum saltem affero locum. Non (*inquit*) alium Deum tibi (*Philosophe*) atque alium protulimus, vt impius Arrius blasphemauit: vnum Deum increatum, & alterum creatum pronuncians, & Spiritum sanctum similiter creatum prædicans. Absit vnam Diuinitatem, vnam substantiam Patris, & Filij, & Spiritus sancti cogitari, & credi asseruimus: scire autem, SS. Trinitatis hypostases non esse disiunctas, vel locales, sed sola fide consolari, & credi, vnam Diuinitatem sanctæ Consubstantialis, & adorandæ Trinitatis. Agnosce Sanctæ Trinitatis vnam esse Diuinitatem semper existentem & subsistentem Trinitatem: verè Trinitatem: & nihil in ea prius aliquando sed semper & eodem modo existentem, indiuiduam & consubstantialem Trinitatem.

Et rursus. Diuinitas simplex & compositionis expers, non in vna Persona iuxta Iudæorum opinionem intelligitur, sed semper in Trinitate Personarum, quæ à se ab inuicem separari nequeunt, ab omnibus Christianis prædicatur & creditur, immensa Trinitas, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Et in penultimo Responso:* Vna est Diuinitas, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt ipse clamat per Prophetam: *Ego sum Deus, & non est alius.* Et Hierem: *Hic Deus noster, non reputabitur alius aduersus eum:* quæ verba de Filio tu quoque confessus es. Ait enim vltra: *Post hæc in terra visus est, & inter homines conuersatus est.* Si ergo iuxta impiam Arrij prauitatem, alia quædam est Filij substantia creata, vt sit Deus posterior Patre. Pater non erit Deus secundum Arrij impietatem, si quidem de Filio scriptum est hic; *Hic Deus noster, & non reputabitur alius aduersus eum.* Et conuincuntur impij Ariomanitæ, cum suæ blasphemiæ authore, ipsum Patrem à Diuinitate repellere: & Athei prorsus deprehenduntur. *Huic sententiæ suffragatus est Constantinus Magnus Imperator: cùm in Epistola, quæ habetur apud Socratem lib: 1. cap: 6. vocat Arrianos Porphyrianos: vt appellationem obtineant eorum, quorum sunt mores imitati. Ibidem præcipit, omnia scripta*

Arrij

Arrij exuri, vt ne quidem monumentum eius aliquod relinquatur. Denique in ipso Symbolo Nicæno sufficientissimè (etsi breuius, vti in Symbolis fieri oportet) consubstantialitas Sanctissimæ Trinitatis explicata est : cùm dictum : Christum esse Filium Dei de Patre natum vnigenitum, id est, de substantia Patris: (quibus verbis euersa est hæresis Arrij, qui dicebat Verbum creatum ex nihilo :) & cùm dicit, eum esse consubstantialem Patri : id est, (vt ibidem addit) eiusdem cum Patre substantiæ. De Spiritu Sancto, quod nihil amplius, quàm, Credo in Spiritum Sanctum, dictum sit ; in causa fuit : quod Arrius maximè diuinitatem Christi oppugnaret : de Spiritu Sancto autem, sibi non constaret. Aliquando enim dicebat eum Filio maiorem : vt pote cuius virtute Filius eijceret dæmonia, aliquando verò eum infra Filium deprimebat : vt ideò paucos vel nullos haberet hac in parte Sectatores : eamq; ob causam non Arrius, sed Macedonius, Pneumatomachorum hæresiarcha censeatur : damnatus in prima Constantinopolitana Synodo. De authoritate Nicænæ Synodi, sufficiat iudicium Constantini Magni, qui Epistola ad Alexandrinos ita scribit : Quod trecentis Episcopis visum est, non est aliud putandum, quam Dei sententia : cùm in mentibus virorum tam præclarorum insideret Spiritus : qui illis Diuinam voluntatem aperuerit.

En ergo DD Sociniſtæ habetis, verum & genuinam Primitiuæ Ecclesiæ de Sanctissima Trinitate sententiam. Videte iam, an non periculosissimè decipiamini; ab eis, qui Socinianam Confessionem fuisse dogmatibus Patrum & Scriptorum Primitiuæ Ecclesiæ consonam mentiuntur. Conferte vestræ Confessioni, quæ allegaui, & manifestas deprehendetis imposturas. Si citatorum codicum authoritatem deprimetis, ostendite alios, è quibus petere velitis, Primitiuæ Ecclesiæ, de Deo, eiusq; Personis sententiam. Loca quædam aliquorum Patrum difficiliora clarissimè & sufficientissimè explicauit Bellarminus : & ego in Refutatione Vindiciarum Deo volente edenda, quæcunque à Domino Iona obijcientur, pridem esse soluta, à Commentatoribus librorum S. Clementis Romani, & S. Irenæi facilè demonstrabo ; Nunc ad alium Fidei Catholicæ Articulum progredior.

Articulus Secundus.

Credimus Catholici, Christum esse Verbum Deum : genitum ante secula : ex substantia Patris : nouissimis temporibus hominem factum : ideoq; Deum & Hominem esse.

Hoc ipsum credidere Sancti Patres.

ET quidem, quod sit Verbum genitum ante sæcula, & ante mundum conditum; tot sunt testimonia ; vt neque Arriani negare

negare id potuerint: etsi dicerent factum non genitum. Et dictis Articulo Primo, constat: quam constanter inde ab Apostolorum temporibus, semper creditum sit, quod Christus sit Verbum Deus, ante omnia secula genitus: per quod omnia facta sunt: quodque sit homo factus: vt operam prodigere censear, si plura testimonia adiecerim. Atque ideò ne eadem oggerendo fastidio sim pauca quædam affero. S. Petri testimonium vtriusque dogmatis, iam retuli. Coæternitatem Patris, & Filij, in testimonio è Lyturgijs S. Iacobi, S. Marci desumptis recensui. Quid de S. Ioanne, pro Ephesijs interfectis orante scripserit S. Prochorus; dixi: quibus addo, quod idem c. 9. scribat: in Epistola à Proconsule ad Domitianum Imperatorem data scriptum fuisse. *Tuæ Maiestati notum sit, de Ioanne, &c. eum prædicasse Christum Crucifixum: quem affirmat Deum verum, & Dei Filium esse.* Et cap: 22. *Vxor Præsidis Patchmi, à S. Ioanne conuersa, ait: En tota domus Patris mei credit in Deum Crucifixum.*

S. Clemens (vltra ea, quæ attuli) l. 6. c. 25. hæreticos vocat eos, qui Christum, negant genitum esse ante secula. Et l. 7. c. 37. hæc habet: *Domine* (Deum alloquitur) *qui festos dies constituisti: vt in mentem veniret sapientiæ à te conditæ, quemadmodum nostra causa; quod ortum est ex muliere, in se subsistere fecit, declarans se in baptismo Deum & hominem.* Et l. 8. c. 12. *Deus Verbum, primogenitus omnis creaturæ, factus est in vtero Virginis, qui format omnes qui generantur: & incarnatus est, qui erat expers carnis, qui sine tempore genitus erat, factus est in tempore.*

Et l. 7. c. 40. ait: *Post actionem gratiarum doceat Catechumenum, de Incarnatione Domini.* Denique l. 5. c. 6. ad finem ait: *Qui corpus sibi fabrificauit ex Virgine, idem est cæterorum hominum author: & qui se à mortuis excitauit; idem mortuos omnes suscitabit.* Et per hoc à Coapostolo Pauli solo allisi sunt triumphi Generoso Domino Ionæ in Vindicijs c. 11. decantanti.

Idem docet S. Martialis, in Epistola supra citata. *Vnigenitus* (inquit) *ante omnem substantiam, ante omne initium; in nostro tempore mira-*

re mirabiliter ab Angelo annunciatus, & in veritate incomprehensibili de Virgine MARIA *natus est: nihil diminutus à Diuinitate Maiestatis suæ: cuius nos testes sumus.*

S. Dionysius Areopagita de Diuinit: Rom. c. 2. *Ex nobis integrè & verè substantiam assumpsit supersubstantiale Verbum: gessitq; & pertulit humanæ ipsius assumptionis electa atque præcipua.* Et in Epistola ad Caium: *Quæris, quomodo* IESVM, *qui omnia superat, omnibus hominibus per essentiam adnumeratum esse dicam. Non vt author hominum, hoc loco homo dicitur, sed tanquam ipse secundum totam substantiam scilicet humanam, existat verè homo. Nos verò* IESVM *non humanitatis ratione definimus: non enim tantum est homo: neque essentia humanæ præcelleret, si solum esset homo: sed reuera homo, qui supersubstantialis existens, & supra homines, hominum amore captus, ex hominum substantia substantiam accepit.* Et in fine: *Postquam Deus factus est homo, nouam quandam theandricam operationem nobis instituit.* Idem breuius docet lib. de Diuin. Nom. c. 2. & 1. de Mystica Theol. c. 3.

Ex S. Ignatio retuli iam verba Epistolarum ad Magnesianos, Philadelph. ad Ephes. ad Rom. Potissimùm autem velim expendi à Socinistis verba Epistolæ ad Tarsenses. *Quomodo hic merus homo, qui vt esset; ex* MARIA *exordium cæpisset? qui dicebat: Dominus creauit me initium viarum suarum, ante secula fundauit me, &c.* Respondete S. Ignatio, Domini Socinistæ, qui pertinacissimè asseritis: Christum vt esset, ex MARIA cœpisse exordium.

Addo aliqua, ex Epistola ad Trallian. *Obturate aures:* (auditis Domini Socinistæ) *cùm vobis quis hæc* (nempe Christum esse purum hominem, & omnia creata esse à Deo non per Christum) *loquitur, excludens* IESVM *Filium Dei, qui natus est ex* MARIA, *qui verè genitus est ex Deo, & ex Virgine vterum non simili modo. Nec enim idem est, Deus & homo, verè assumpsit corpus: Verbum enim Caro factum est.* Et infra: *Verè* MARIA *genuit Corpus, habens in se Deum habens in se Deum habitantem, & reuera natus est, Deus Verbum ex Virgine, &c.*

ne, &c. & corpus sibi fabrificauit ex sanguinibus Virginis. In Epist: ad Philip. ita Sathanam tentatorem alloquitur: *Si sciuisses, quòd Filius Dei erat, sciuisses item quod rerum conditor vniuersarum, ex æquo potest facere quod non est: & mutare quod est. Sciuisses, quod is, qui 40. diebus & noctibus, ieiunium corpus, sine omni inediæ noxa conseruarat, etiam perpetuo idem conseruare poterat. Cur ergo esurit? vt ostenderet se assumpsisse corpus obnoxium eisdem passionibus, quibus alij homines: per illud itaque ostendit se Deum esse per hoc hominem.* Et in Epistola ad Smyrnenses: *Quid mihi prodest, si quis me laudet, & Dominum meum blasphemet, non confitens, ipsum esse Deum carne vestitum?* Et ibidem: *An non itaque Verbum, in carne habitauit? sapientia enim sibi ædificauit domum. Verbum, suum ipsius templum, quod solutum erat à Iudæis, Christum oppugnantibus, excitauit tertia die.* Ecce iterum triumphi G. D. Ionæ ruunt. *Verbum omnia ad se traxit, ad obtinendam salutem æternam, postquam Caro eius exaltata est.* Et ibidem multis probat, Christum etiamnum in ea ipsa carne, in qua natus est, in cœlis regnare: & in eadem ad iudicium venturum.

Ex secundo seculo S. Soteris testimonium iam produxi. nunc S. Hygini verba addo: *Filius non secundum solam Deitatem missus est à Patre: sed secundum carnem, quam clementer pro nobis assumere dignatus est: Nam quod semetipsum, exinanita suæ Maiestatis potentia, miserit, Apostolus testatur, qui ait:* Semetipsum exinaniuit, Formam serui accipiens. Et Esai. c. 35. *Non legatus neque Angelus, sed ipse Dominus veniet, & saluabit eos.*

S. Iustinus in singulis propè libris (in quibus de Deo & Christo ait) clarè profitetur: Christum esse Verbum ante omnia secula genitum, in tempore hominem factum. Longum esset singula referre: vnum solum locum attingo Orat. ad Antonium Pium ait: *Vt per Verbum Dei, Caro factus est,* IESVS *Christus Seruator noster, & carnem ac sanguinem salutis nostræ causa habuit, eodem modo etiam eum, qui per preces sermonis ab eo accepti, consecratus est Eucharisticum cibum, quo sanguis carnesq́ nostræ communione aluntur;* IESV *Christi eius, qui homo factus est, carnem & sanguinem*

esse,

esse, edocti sumus. In expositione Fidei sæpius idem docetur, verba ad Tryphonem Iudæum dicta, infra afferam.

S. Irenæus non solùm id per occasionem, & incidenter docet; sed de proposito, peculiari scripto, contra hæreses tuetur, l. 3. c. 17. 18. 20. 22. 23. 24. vbi Titulus est: *Ostensio, quoniam Verbum Dei homo factus est*, & capitibus sequentibus.

Et lib: 5. c. 14. vbi Titulus est: *Nisi caro saluanda esset, carnem eiusdem substantiæ, cum nostra verbum non assumpsisset: quapropter nec per ipsum essemus reconciliati.* Et c. 18. vbi hic Titulus: *Creaturas vniuersas, quibus Deus Pater, & Verbum eius, vtuntur, sua propria virtute, & sapientia condiderunt: alias nunquam carnem assumpsisset Dei Filius, qui omnem à Patre potestatem accepit.* Et c. 1. vbi ait: *Ebionæi, vnitionem Dei & hominis, per fidem non recipientes in suam animam; permanent in veteri fermento, nolentes intelligere, quòd Spiritus sanctus venerit in* MARIAM, *& virtus Altissimi obumbrauerit eam, ideoq; & quod genitum, Sanctum est, & Filius Dei, Patris omnium, qui operatus est Incarnationem, &c.*

S. Theophilus vltra supra dicta; verba illa Ioan: S. *Nemo ascendit, nisi qui descendit*, interpretans, ait: *Quomodo in cœlo erat, cùm adhuc esset in terra? Sciendum est, quod secundum carnem in terra erat, secundum Deitatem in cœlo non deerat: ideò & ipse ascendit: qui descendit, quia licet homo factus sit, non tamen Deus ipse desiit. Idem ergo est Homo & Deus, Christus: vna Persona.*

In Tertio seculo eiusdem veritatis testem S Hippolytum iam produxi. Eandem tribus peculiaribus sermonibus de Annunciatione B. Virginis docet S. Gregorius Thaumaturgus, & in Expositione Fidei κατα το μερ@: quam etiam defendit contra Samosathenum in Antiochena Synodo Prima, tanto successu, vt is sententiam se mutare iurauerit: tanta peruersitate Synodum decipiendo, quanta antea (vt loquitur secunda Antioch. Synodus) Deum negauerat.

Et S. Cyprianus lib: 2. ad Quirinum, 7. 8 9. 10. 11. 12. 13. & insuper lib: de Bono Patientiæ ait: IESVS *Christus & Dominus noster,*

noster, de illa sublimitate cœlesti ad terrena descendens, non aspernatur, carnem hominis induere: & cum peccator ipse non esset: aliena peccata portare, immortalitate interim posita, fieri se & mortalem patitur, &c. Et lib: de opere & Eleemosynis: *Filius Dei* (inquit) *esse & Filius hominis voluit, vt nos filios Dei faceret.* Et in sermone de Natiuitate Christi: *Hæc* (ait) *sunt noua mira, quæ prædixerat Hieremias. Nouum faciet Dominus super terram: Mulier circumdabit virum.* IESVS *Christus heri & hodie, ante luciferum genitus, initium carnis sumpsit ex Virgine, quem cœli cœlorum non capiunt, &c.* Et lib: de Idolorum vanitate. *Filius Dei* (inquit) *mittitur, qui per Prophetas omnes retro illuminatur, & Doctor humani generis prædicabatur. Hic est virtus Dei; hic ratio, hic sapientia eius & gloria: hic in Virginem illabitur, carnem, Spiritu sancto cooperante, induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster: hic Christus est qui mediator hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, vt & homo possit esse, quod Christus est.*

Eandem veritatem docet S. Eutychianus in Epistola iam citata: *Dei Filius* (inquit) *natus ex Virgine est: & Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante: & sua, Dei, videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia conseuit: vt homo factus ex Virgine, naturam in se carnis acciperet, per quam huius admistionis societatem, sanctificatum in eo vniuersi generis humani corpus existeret. Inenarrabilis à Deo originis, vnus vnigenitus Deus, in corporis humani formam sanctæ Virginis vtero insertus adcrescit.*

Et infra: *Non ille indiguit homo effici, per quem homo factus est, sed nos eguimus: vt Deus Caro fieret: & habitaret in nobis. Planè is vitam suam nescit, qui Christum* IESVM, *vt verum Deum, & verum hominem ignorat. Hæc humanæ beatitudinis Fides vera est: Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum nescire quod homo sit: neque carnem ignorare, quod verbum sit. Natus ergo vnigenitus Deus, ex Virgine homo, hunc per omnia Euangelici sermonis modum tenuit; vt se Filium credi doceret, & hominis filium prædicaret: ita lòquens gerensq; quæ Dei, & quæ hominis sunt: vt nunquam nisi cum significatione*

ficatione hominis loquutus, & Dei sit. Hæc itaq; (Hoc notate D. Socinistæ) *fallendi simplices & ignorantes hæreticis occasio est; vt quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, omnia eum de Diuinitate loquutum esse contendant. Sed si* IESVS *Christus, & homo & Deus, & neq; cum homo, tum primum Deus, neq; tum, cùm & homo & Deus sit, tum non etiam Deus: neq; per hominem in Deo, non totus homo, totus Deus, vnum atq; idem est. Et cùm in eo secundum tempus discernis hominem à Deo; Dei tunc ac hominis discerne sermonem: & cùm Deum atq; hominem in tempore confiteris; Dei atq; hominis in tempore dicta dijudica: cùm verò ex Homine & Deo rursum totius hominis iam Dei tempora intelligis; siquidem illud ad demonstrationem temporis dictum est; tempori cooptato quæ dicta sunt, vt cum aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo & Deus, aliud est post hominem & Deum; totus homo & totus Deus; non confundas temporibus & generibus, dispensationis Sacramentum.*

Et infra: *Videsne ita Deum & hominem prædicari vt mors homini, Deo verò carnis excitatio deputetur? Non tamen vt alius sit qui mortuus est, & alius sit per quem mortuus resurgit. Spoliata enim carne, Christus est mortuus; & rursum, Christum à mortuis excitans, idem Christus carne se expolians. Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige: dispensationem hominis in morte agnosce. Et cùm sint vtraq; suis gesta naturis vnum tamen Christum* IESVM, *eum memento esse, qui vtrumq; est.*

Et iam tertio G. D. Ionæ triumphi collapsi. Pergit vlterius. *Hæc à me demonstrata paucis fuere: vt vtriusq; naturæ formam tractari à Domino* IESV *Christo meminerimus: quia qui manens in Forma Dei, Formam serui suscepit; ipse Diuinitatem nequaquam amisit.* Hæc Sanctus Martyr antidoti instar veneno hæresis Samosathenianæ paulò ante à Concilio Antiocheno damnatæ obiecit. Cuius Concilij hanc fidei professionem in A. C. 272. refert Baronius. *Confitemur Dominum nostrum* IESVM *Christum, ante sæcula quidem ex Patre nouissimis temporibus, per Spiritum sanctum ex Virgine secundum carnem natum, vna duntaxat Persona, & cœlesti Diuinitate & humana carne conflata subsistentem. Totum Deum etiam cum corpore: sed non secundum corpus Deum homousion consubstantialem, sed non secun-*

dum corpus substantialem, vt nec secundum Diuinitatem hominibus est consubstantialis, &c. &c. vt autem hæc distincta & discreta inter se pronunciamus, non ad inducendam vnius Personæ indiuisæ diuisionem, sed ad denotandam naturarum Verbi & carnis distinctionem, & inconfusibilitatem: ita illa, quæ ad indiuisæ vnionis rationem faciunt, vnita prædicamus & veneramur.

Hoc ipsum docet Clemens Alexandrinus in sermone Protreptico. *Apparuit* (inquit) *hominibus hoc ipsum Verbum: quod solum est, ambo: Deus & Homo.* Nam vt ait Domini Apostolus: *Gratia Dei Saluatoris omnibus hominibus apparuit: docens nos, vt abnegantes impietatem &c. expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ Magni Dei, & Saluatoris Nostri* IESV *Christi.* Et infra: *Ipse est Dominus, loquens in Esaia: ipse in Helia, ipse in ore Prophetarum: quod si tu non credis Prophetis, ipse tibi loquetur Dominus: qui cùm in Forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, seipsum autem exinaniuit misericors Dominus, hominem seruare cupiens: Dei inquam Verbum, factus est homo.*

Et in lib: 1. Pædag. cap: 5. *ipsum Dominum puellum nominat, per Esaiam prædicens Dominus:* Ecce puellus natus est nobis, & Filius datus est nobis, cuius principatus super humerum eius. *Quid est ergo puellus? Infans, ad cuius imaginem nos infantes sumus, per eundem Prophetam narrat eius magnitudinem: Admirabilis: Consiliarius: Deus Potens: Pater æternus. O Magnum Deum! ô perfectum puerum? Filius in Patre, & Pater in Filio.* Et mox: *Quoniam Scriptura pueros & infantes, vocat Agnos: Deum qui est Verbum, qui propter nos homo factus est. Ioannes vocauit Agnum Dei.* Et cap: 7. *Deus ad affectiones descendit propter hominem, propter quem Verbum Dei homo factum est.*

Eandem veritatem in Commentarijs, in Euangelia, & in Epistolam ad Rom. sæpè prædicat Origenes: & in Periarcho, vt in eius Apologia demonstrat Pamphilus Martyr, vbi eum etiam, à falso obiecta Arthemonis & Samosatheni hæresi defendit. Tertullianus etiam passim id ceu Fidei veritatem irrefragabilem

gabilem prædicat, præſertim lib: contra Iudæos. c. 7. & 9. lib. de Carne Chriſti: lib: 3. contra Marcionem, in ſcorpiaco contra Gnoſticos: lib: de Pudicitia. Potiſsimum verò lib: de Præſcript. c. 13. in Regula Fidei ſeu Symbolo Apoſtolico ait: *Chriſtum eſſe Verbum Filium Dei, in nomine Dei varie viſum Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum, poſtremò delatum ex Spiritu Dei Patris, & virtute in Virginem* MARIAM, *carnem factum in vtero eius, &c.* Horum ergo omiſsis teſtimonijs; omiſſa item Dionyſij Alexandrini contra Samoſathenum Epiſtola, à S Hieronymo collaudata; omiſsis denique S. Zenonis de æterna Filij Dei Generatione, & de Chriſti Natiuitate, & Circumciſione, tres alios huius veritatis teſtes produco.

Primus eſt S. Methodius, Epiſcopus Tinius & Martyr: qui in Orat. in Hypapanſen hæc habet: *Ecce thronus ſublimis, & eleuatus Regi & Domino Sabaoth.* (notandum eſt ab hoc S. Martyre, Chriſtum vocari Dominum Sabaoth) *qui ipſum eſt fabricatus, Virgo Mater inſtruitur. Super illo nunc Dominum carne indutum, publicè prodeuntem imaginare: ſuper illo, inquam, Virginali throno, eum venerare. Inuenies in eius Comitatu regium quoq; Seraphicum Spirituum Sacerdotium. Amat enim eiuſmodi ſatellitium Regis talis ſequi præſentiam. Vnde etiam eo loco* (Iſaiæ cap: 6.) *laudauiſſe dicuntur, non ſolum trinam illam Diuinæ vnitatis Hypoſtaſim: ſed & quæ nunc in terra occurrit, per Dei apparitionem, vnius in ſancta Trinitate Suppoſiti venerandam gloriam. Credimus enim Filio, noſtra cauſa carnem induto, & Patrem, qui ab ipſo ſeparari non poteſt ſecundum Diuinitatem, vna cum eiuſdem Spiritu eſſentiæ, &c. &c.* Idem S. Simeonis Hymnum ita eloquitur: *Te deſidero Domine Deus Patrum, Domine miſericordiæ. Te quæro rerum omnium conditorem, tu noſter Deus: te adoramus: tibi paremus. Tu Deus primus. Ante te non eſt alius factus Deus ex Deo Patre, neq; poſt te alius futurus Filius, Patri conſubſtantialis: eiuſdemq; cum ipſo gloriæ. In te viuimus: mouemur: & ſumus. Propterea Domine Deus meus, glorificabo te. Quid enim Deo, in homines propenſiſſimo, amica hac hominis aſſumptione magnificentius? Appoſitè, ſanè te Regem ſeculorum*

 tempo-

temporarius ille, Rex faustis gratulationibus prosequutus, dicens: Speciosus forma præ filijs hominum; in hominibus Deus, & ipse homo. Circumunxisti enim per Diuinam tuam Incarnationem iustitia lumbos tuos: inunxisti veritate latera tua. Et toto illo sermone, pulcherrimè Incarnatio Christi prædicatur.

Secundus S. Petrus Alexandrinus, Episcopus & Martyr: qui lib: de Deitate ita loquitur: *Gabrielis salutatio, Deum Verbum in vtero Virgineo natum, & carnem factum insinuat. Dei Verbum circa viri commercium, sola Dei, quiduis potentis efficere voluntate, in Virginis vtero incarnatum est.*

Tertius Lactantius, qui huius mysterij arcana, frequenti & eleganti Oratione euoluit, lib: 4. de vera sapientia, cap: 8. hæc habet: *Beatus qui erat, antequam nasceretur, quod nulli alij contigit, præter Christum. Qui cùm esset à principio Filius Dei, regeneratus est denuo secundum carnem, quæ duplex natiuitas eius, magnum intulit humanis pectoribus errorem: circumfunditq; tenebras, etiam eis, qui veræ Religionis Sacramenta retinebant.* Idem cap: 12. allatis illis verbis Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet, &c. & vocabitur nomen eius Emmanuel,* ita differit: *Legebant hæc Iudæi: qui eum negauerunt. Satis firmum testimonium veritatis est, quod ab inimicis perhibetur. Emmanuel autem nunquam vocitatus est: sed* IESVS: *Propheta voluit declarare hoc Nomine, quod Deus ad homines in carne venturus esset. Emmanuel autem significat Nobiscum Deus, quia, illo per Virginem nato confiteri homines oportebat Deum secum, id est in terra, & in carne mortali esse. Vnde Dauid in* Psal: 84. *Veritas* (inquit) *de terra orta est, quia Deus, in quo veritas est, terrenum corpus accepit, vt terrenis viam salutis aperiret.* Et cap: 13. *Filium bis nasci oportuit: vt ipse fieret* απατωρ & αμητωρ. *In prima enim natiuitate Spirituali* αμητωρ *fuit; quia sine officio Matris à solo Deo Patre generatus est. In secunda verò carnali* απατωρ *fuit, quia sine Patris officio, Virginali vtero procreatus est, vt mediam inter Deum & hominem substantiam gerens, nostram fragilem naturam ad imbecillitatem posset educere: factus & Dei Filius per Spiritum, & hominis per carnem, id est, & Deus & homo. Deum enim testatur fuisse Isaias his verbis:*

Viri alti

Viri alti adorabunt te: quia in te Deus est, & non est alius Deus prater te. Tu enim Deus es, & nesciebamus, Deus Israel Saluator. Et Hieremias: *Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo. Post hac in terris visus est, & cum hominibus est.* Omitto cætera: vt & testimonia desumibilia ex eodem lib c. 14. 16. 18. (vbi vocatur Deus suspensus & affixus) 22. 24. 25. vnum tantum adhuc locum, ad triumphos G. D. Ionæ quartò euertendos adduco. Ita habet cap: 18. *Obiecerunt Iudai Christo: quod dixerat: Si volueritis hoc templum, quod adificatum est annis 40, ego illud in triduo sine manibus suscitabo, significans breui passionem suam, & se à Iudais interfectum, tertio die resurrecturum. Ipse enim erat Verbum Dei templum.*

Articulus Tertius.

Credimus Sanctissimam Virginem MARIAM *esse Deiparam: seu Dei Matrem, Reginam ac Dominam nostram, Peccatorum Aduocatam.*

Id quoque Sancti Patres Primitiuæ Ecclesiæ credidere.

IN Liturgia S. Petri hæc habentur: *Memoriam venerantes, inprimis Sancta, gloriosa, semperq; Virginis* MARIÆ, *Genitricis Domini & Dei Saluatoris nostri.* Et infra: *Libera nos* (ô Deus) *ab omni malo intercessionibus Immaculata & gloriosa Domina nostra Deipara, semperq; Virginis* MARIÆ.

In Liturgia S. Iacobi hæc leguntur: *Commemorationem agamus, Sanctissima, Immaculata, gloriosissima, Benedicta Domina nostra Matris Dei, & semper Virginis* MARIÆ, *& omnium Sanctorum, vt precibus eorum, & intercessionibus misericordiam consequamur.* Et infra: *Dignum est, vt te verè beatam dicamus Deiparam: & omnimodè irreprehensam, Matrem Dei nostri honorabiliorem, quam Cherubim, & gloriosiorem quam Seraphim, qua sine corruptione Deum Verbum peperisti. Te verè Deiparam magnificamus. Tibi, ô plena gratia, vniuersa creatura*

gratulatur, quæ es templum sanctificatum, ex qua Deus carnem assumpsit, & puer factus est Deus noster, qui est ante secula.

In Liturgia S. Marci hæc dicuntur ante Lectionem diptychorum. *Sanctissimæ, intemeratæ, & benedictæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, semperq; Virginis* MARIÆ.

Harum Liturgiarum authoritatem sufficientissimè tuentur, Iacobus Pantelius in Liturgicis: Claudius de Sanctis: & alij apud Posseuinum. De Templis à S. Petro, S. Iacobo, S Ioanne, Deiparæ dedicatis, & in eius honorem extructis, agam, Deo volente in Anastasi Centuriæ cæsæ.

Eandem veritatem agnouit S. Ignatius, in Epistola ad S. Ioannem (quam ei attribuunt, S. Bernardus, Michael Carnotensis, Dionysius Carthusiensis, Sixtus Senensis, Petrus Canisius, Margarinus, & alij:) in qua *Virginem Beatissimam vocat Matrem Dei, omnium gratiarum abundantem, cœleste prodigium, & sanctissimum spectaculum.* S. Dionysij Epistola ad S. Paulum, si eam, quam aliqui & tribuunt, authoritatem haberet; nobilissimum Deiparæ exhiberet elogium: sed quia eam video, ab eruditioribus negari; illo non vtor: Si curiosis scire amor est; dicitur ibi S. Paulo scribere hunc Sanctum: quod cùm ad conspectum Beatissimæ Virginis à S. Ioanne adductus esset; ita faciei eius, vel ipso conspectu, gratiarumque cœlestium contemplatione consternatus fuisset; vt nisi, Christiana fide vnum tantum esse Deum sciuisset, Numinis eam instar veneratus esset. Quibus si Sociniſtæ fidem negant, non laboro: viros sequutus eruditos, qui hanc Epistolam esse S. Dionysij negant.

Eodem sæculo, aut initio secundi, S. Euodius in Epistola, quam inscripsit Lumen, (& habetur apud Nicephor. lib: 2.) ita loquitur: *Omne tempus à Natiuitate Christi, vsque ad Dei Genitricis migrationem anni fuerunt 44.*

S. Iustinus in Dialogo cum Triphone ait: *Christus ex Virgine homo genitus: vt qua via à serpente inobedientia initium sumpsit, eadem via etiam exitium caperet. Eua enim cùm virgo esset, & incorrupta,*

rupta, ſerpentis verbo concepto, mortem peperit, fide autem & lætitia concepit Virgo MARIA, *cum nuntium ei lætum Gabriel attuliſſet. Fiat* (inquit) *mihi ſecundum verbum tuum.* Et in quæſtionibus Orthodoxis, idem vel aliquis alius q. 136. *Chriſtus* (*cùm dixit, Quid tibi & mihi mulier*) *non Matrem debito honore priuat, ſed cuiuſmodi Materni iuris Beatiſſima Virgo eſſet, declarat. Et quia non quamlibet è vulgo fæminam Deus delegit, quæ Genitrix Chriſti fieret, ſed quæ mulieres omnes virtute anteiret; meritò eiuſmodi virtutis nomine Matrem ſuam Beatam prædicari voluit, per quam virtutem eo honore digna habita eſt: vt Virgo Mater fieret.*

S. Melitonis libellus de Tranſitu Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ, ſi eam authoritatem haberet, apud Latinas, quam apud Græcas Eccleſias; haberemus admirabilis eius, ad cœlos eleuationis ſufficientem deſcriptionem. Nunc quia à Latinis ſolum, ſeptem capita probantur, ex ſecundo hæc verba aſſumo. *Ex illa hora* (*qua dictum eſt S. Ioanni, Ecce Mater tua*) *Sancta Dei Genitrix in Ioannis cura ſpecialiter permanſit: donec vitæ huius incolatum tranſegit.*

S. Irenæus lib: 3. cap: 33. ait: *Euæ inobedientiæ nodus, ſolutionem accepit per obedientiam* MARIÆ: *quod enim alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc* MARIA *ſoluit per Fidem.* Et ibidem: *Vt Eua ſibi & vniuerſo orbi facta eſt cauſa mortis: ita* MARIA *Virgo obaudiens, & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis.* Et lib: 5. cap: 19. *Sicut Eua ſeducta eſt, vt effugeret Deum, ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo: vt Virginis ſuæ Virgo* MARIA *fieret aduocata: & vt aſtrictum morti genus humanum per Virginem, ſoluatur per Virginem.* En à S. Irenæo vocatur Sanctiſsima Virgo, peccatricis Euæ aduocata. Quidni ergo omnes eam peccatores, ceu ſuam Aduocatam venerentur?

S. Hippolytus libro ſupra citato ait: *Dei per carnem aduentu in mundum promulgato, qui ex impolluta & Deipara* MARIA *ortum ſumpſit.* Et infra: *Solam Virginem Sanctiſſimam peperiſſe nouimus: quæ carnigerum genuit Saluatorem.* Et apud Nicephor. l. 2. c. 3.

Anna

Anna protulit MARIAM *Dei Genitricem, à qua nobis exortus est Christus ipsa veritas.*

S. Cyprianus serm: de Natiuitate Christi ait: *Non sustinebat iustitia, vt illud* VAS ELECTIONIS *communibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Huic Matri, plenitudo gratiæ debebatur: & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis, integritate insignis, spiritali & corporali, intus & extra Christi præsentia fruebatur.*

Et infra: *Non recesserat à venerabili pectore* SPIRITVS, *ad verbum Gabrielis elapsus, possidebat domum suam, & templum, quod sibi consecrauerat; adornabat: seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat.*

S. Gregorius Thaumaturgus, in tribus de ea sermonibus in laudes eius prolixè effunditur. Non vacat describere tam multa. Vltimi sermonis conclusionem exhibeo. *Sanctissima* (inquit) *Dei Genitrix, conseruabat omnia verba hæc: velut quæ omnium vas & receptaculum esset. Tua sanè, ô Sanctissima Virgo, laus, omnem prorsus laudem, propter Deum ex te incarnatum, ac hominem natum, excedit. Tibi omnis creatura, in cœlis, & in terris, & apud inferos, reuerentiam & cultum conuenientem confert. Tu thronus euasisti Cherubicus. Tu in summis Spiritualibus regnis lucis splendore coruscas. Vbi glorificatur Pater omnis principij expers: cuius obumbrantem habuisti potentiam: adoratur Filius: quem secundum carnem peperisti, celebratur Spiritus S. qui in tuo vtero Natiuitatem Magni Regis peregit. Per te, ô gratia plena, Trinitas sancta & consubstantialis, in mundo cognoscitur.*

Vtinam verò, ô Misericordissima Mater, cognoscat eam per te: etiam iste, qui primus è Socinistis, in tuas laudes extulit calamum?

S. Methodius in citata Oratione ita alloquitur Deiparam: *In benedictionibus Domini nomen tuum, Diuina gratia plenissimum Dei Mater. Tu circumscriptio* (vt ita dicam) *eius, qui circumscribi non potest Mater Plasmatoris, Nutrix Altoris, portans eum, qui verbo portat omnia: propitiatorium, ex quo Deus in humana forma innotuit: Deo nullius alio-*

lius alioqui indigo, carnem, quam ante habebat, fænerans: quia Omnipotens ille Deus, quod ipsi decretum fuerat, homo appareret. Quid hoc sublimius? Qui cœlum terramq́; implet, cuius sunt rerum omnes possessiones, tui indigus efficitur; cùm fæneraueris Deo Incarnationem, quam ante non habebat.

Et infra: *Deficiet nos, & quæ post nos futuræ sunt, generationes, tempus, si tibi Matri Regis sæculorum, dignam tuæ beatitudinis prædicationem tribuere nitamur.*

Et infra: *Tu ante omnia sæcula conceptum, in fine temporis enixa es, tu inuisibilis Patris Filium mysterium vtique absconditum mundo patefecisti.*

Origenes Homilia 1. è Collectis. *Mater eius*: (ait S. Matthæus.) *Cuius eius? Mater vnigeniti Dei, Domini, Plasmatoris & Creatoris cunctorum, illius, qui in excelsis sine Matre, in terris est sine Patre: ipsius, qui in cœlis secundum Deitatem est in sinu Patris, & in terris secundum corporis susceptionem est in sinu Matris.*

Et infra: *Mater Filij, facta est, & castitatis sigillum non perdidit. Quare? Quia non homo tantum esse videbatur sed vnigenitus erat Deus, qui in carne aduenerat.*

Tertullianus libro de præscriptionibus, eandem Matrem, Beatissimam & Gloriosissimam vocat. Et lib. de Carne Christi cap: 17. ait: *In virginem Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Verbum Dei, extructorium vitæ: & quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Credidit Eua serpenti,* MARIA *Gabrieli, quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.* Et cap: 18. *Christus, sicut nondum natus est ex Virgine, Patrem Deum habere potuit, sine homine Matre, æquè cùm de Virgine nasceretur, potuit Matrem habere sine homine Patre.*

En habes D. Iona Primitiuæ Ecclesiæ Patrum apertum gymnasium: collige te: & in eo studiosè exerce: Id quod si feceris, facilè comperies, Confessionem Socinianam, Fidei Primitiuæ Ecclesiæ apertissimè aduersari: esseque Patribus Orthodoxis dissonam: hæresibus verò temporibus Primitiuæ Ecclesiæ ortis, consonam: vt iam ostendo.

Harmonia Hæresis Socinianæ, cum Hæresibus Apostolorum temporibus ortis: vel ea subsecutis.

PRimam hæresim Apostolorum tempore ortam, fuisse Simonianorum: quæ authorem habuit Simonem Magnum, concors est omniũ sententia. Eorum inter hæreses; etiam hanc; recenset S. Augustinus: quod negarent Carnis resurrectionem, quam etiam tribuit Valentino; animam tantum, & spiritum, per Christum salutem accipere affirmantis. Marco; resurrectionem carnis neganti: Caianis item: Archonticis: Cerdonianis: (quibus idipsum tribuit Theodoretus:) Apellitis: Seuerianis: S. Epiphanius, Valentinianis: Secundianis: Caianis: Archonticis: & Cerdonianis: Seuerianis: Marcionistis: Philastrius Valentino, & Apelli. Tertullianus Basilidi: Ophitis: & Martioni: cui quoad Martionem consensit S. Iren. l. 1. c. 24. Hos omnes vel Apostolorum tempore (quod de Basilide, Valentino, Marco Secundo, Cerdone, Marcione, Apelle, saltem S. Ioanne viuente, Philastrius tradit:) vel proximos temporibus Apostolorum vixisse; eosque fuisse, per quos Ecclesiam Christianam deformatam fuisse deplorat Ægesippus, apud Eusebium; testatur Historia Ecclesiastica, & SS. Patres, qui eas hæreses impugnarunt. Eos quidem, qui negabant Carnis resurrectionem, validè impugnat S. Clemens Constit. Apost. lib: 5. cap: 6. S. Ignatius Epistola ad Trallianos: ad Tharsenses; ad Smyrnenses; Tertull: integris libris de Carne Christi: de Resurrectione carnis: & libro contra Marcionem, S. Irenæus toto lib. 5. qui etiam ibidem, cap: 9. verba illa: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, quibus Hæretici, Carnis resurrectionem negantes, abutebantur, præclarè explicat, & argumentum ex eis assumptum dissoluit: quod ipsum facit Clemens Alexandrinus lib: 7. Stromatum, in explicatione verborum illorum: *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & hanc destruet.* Quæ cùm à D. Iona esse lecta non dubitem; non capio: qua conscientia is suam Confessionem Primitiuæ Ecclesiæ conformem esse, dicere possit; cùm Carnis resurrectionem neget: ijsque ipsis vtatur Argumentis; quæ à veteribus Hæreticis obiecta SS. Patres dissoluerunt. Nolit, velit, fateri cogitur: Socinianum cœtum, dum Carnis resurrectionem negat; & tanquam Machometanismum sugillat; recensitis hæresibus fœderatum, & à SS. Patribus Apostolorumque discipulis damnatum esse. Vnum hic G. D. Ionæ in aurem insusurrauero: quod

quod Tertull. de Carne Christi cap: 15. scripsit: *Licuit Valentino, ex priuilegio Hæretico Carnem Christi spiritualem comminisci. Quiduis eum fingere potuit, quisquis humanam credere noluit.* Verecunda naturæ, quibus G. D. improperat; debuerat dediscere ex Epistola S. Ignatij, & ex statu innocentiæ primorum hominum. Cur enim illi, cùm nudi essent, non erubescebant? An ipse quoque cum Iudæis, eorumque imitatore Smalcio, dicet eos, tum temporis fuisse ratione destitutos.

II.

TEmporibus item Apostolorum vixit Hæreticus Ebion: quem fuisse singularem personam & hæresiarcham, dum Socinus in secundo Responso Volano obiecto, fol: 159. negat, in meridiana luce cæcutit. Loquitur enim, vt de singulari persona, studiosissimus S. Irenæi Sectator, Tertullianus: in lib. de Carne Christi. Eundem nomine proprio nominat Philastrius: & S. Augustinus: &, quod caput est, S. Ignatius in Epistola ad Philadelph. quam cùm Socinus ibidem fol: 260. in dubium reuocat: agnitæ veritati apertissimè refragatur: conscius; an rigidissimis Censoribus, & iam olim ab Eusebio, eam esse genuinum S. Ignatij partum agnitam. Ad exemplar Græcum dum appellat, illudit. Verba Græca sunt: ως εκληθην Εβιων. Ex hoc enim loco, nisi pertinax, suique sensus nimio plus fuisset tenax; agnouisset, à S. Ignatio alludi ad nomen: vereque Ebionis habere nomen: quia Ebion Hebræis inopem significat: eo quod qui Christum nudum hominem asseueret; sensus admodum inops esset. Hæc ideò attuli: vt videant, qui sensum Socini de Ebione, nimis temerè secuti sunt; erubescant. Eum enim singularem personam fuisse, eius æuo propiores, docuere disertissimè: Philastrius, S. Epiphanius, S. Augustinus, &c. Eius hæresim, eumque secuti cœtus, ita describit Eusebius. (cuius testimonijs, etsi eum Arrianum fuisse non ignoret, delectatur G.D. Ionas) *Ebionæi* (inquit) *propriè appellati sunt, id est mentis & intelligentiæ inopes: quippe, qui de Christo, eiusq; doctrina tenuiter, & abiectè statuerent: & opinarentur: eum namq; simplicem, vulgarem, & solum hominem censuerunt: & ex coniunctione Iosephi cum* MARIA *natum: sed propter progressum in virtute factum, hominem iustum censuerunt: at solum hominem tamen. Præter istos, alij etiam erant, eadem appellatione donati; qui etsi à stulta horum, opinione deflexerunt, & ex Virgine, & Spiritu sancto* (Nota bene G. D. Iona, vt tuæ Confessionis protoplastos agnoscas) *Dominum natum, non negarunt; pari tamen ratione, dum ipsum Christum, nec Deum, qui ante sæcula extitit; nec verbum & sapientiam Patris fuisse; confiteri volebant, in eandem cum Superioribus impietatem prolapsi sunt.* Idque

 ipsum

ipſum de Ebione Philaſtrius ſcribit: *Ebion* (inquit) *nihil in Chriſto Diuinitatis cenſebat: ſed vt omnes Prophetas, ſic & cùm gratiam Dei habuiſſe aſſerebat: non tamen Dominum Maieſtatis, & Dei Patris Filium, cum Patre ſempiternum eſſe, credebat: cùm tamen eum Diuinæ Scripturæ, Dominum ſempiternum, cum Patre vero, æquè ſempiterno, vbique teſtentur.* Et Tertullianus lib. de Carne Chriſti, c. 14. *Ebion nudum hominem, & tantum de ſemine Dauid natum, non autem Dei Filium conſtituit* IESVM, *planè Prophetis aliquo glorioſiorem: vt ita in nonnullis Angelum fuiſſe dicatur.* Vide hic G. D. an non tuæ Confeſsionis normam intueris? Nonne tu hoc ipſum negas; quod negabant iſti? Ægrè admodum fert Socinus, ſuum cœtum Ebionitas vocari. At quid faciendum? Nonne tui, Socine, cœtus, negant Chriſtum eſſe Deum, qui ante ſecula extiterit? nonne eum negant eſſe ſapientiam Patris? quis ergo locus tergiuerſorum?

Eius hæreſim excepere Allogiani: quorum fæces Artemone prior, an Theodotus coriarius hauſerit; non habeo exploratum.

Theodotum, auulſionem quandam ſectæ Allogorum vocat S. Epiphanius. Quidquid de prioritate ſit; Artemonis ſenſum de Chriſto fuiſſe, ait Theodoret. (in Compendio hæreticarum fabularum) quod ſolus homo fuerit, natus ex Virgine, prophetiæ autem virtute præſtantior: quodque illi, qui Apoſtolos conſecuti ſunt, Chriſtum in Deum retulerint; cùm Deus non eſſet. Theodotus item (quia in perfectione lapſus, eo ſe modo ſui caſus euitare putabat opprobrium; ſi ſe diceret, non Deum ſed hominem negaſſe; (vti aſſerunt, Euſebius, Philaſtrius, Epiphanius, Auguſtinus) aiebat Chriſtum merum eſſe hominem. Extincto autem cum ſua, & Arthemonis hæreſi, Theodoto, renouare eam tentauit (ait Euſebius l. 5. c. 27.) Paulus Samoſathenus; *inſolenter* (verba ſunt Euſebij) *ſpargere auſus: fidem quam profiteretur eſſe ab ipſo Domino, & Apoſtolis eſſe conceptam*; (agnoſce Lector Spiritum & genium Triadomachorum) *& veram prædicationis rationem, vſque ad tempora Victoris Papæ, qui, Decimus tertius à Petro, Romæ Epiſcopus fuit integrè ſeruatam; ſed à Zepherino corruptam: & deprauatam.* Cuius; vel potius quorum, eius aſſeclarum, faſtum, eius æui Scriptor Catholicus, præclarè compreſsit: cùm eis S. Scripturæ teſtimonia, (quæ Chriſtum Deum eſſe verum docerent) & Patrum, S. Victore antiquiorum, obiecit ſcripta: quæ illi tum contra gentiles, tum contra coætaneos hæreticos ſcripſere: vt Iuſtini. Milciadis, Clementis, & aliorum, in quorum omnium libris Chriſtus, verus eſſe Deus confirmatur. *Quis* (inquit) *Irenæi, Melitonis, quis cæterorum libros ignorat, qui Chriſtum Deum & hominem*

nem constanter affirmant? Quot item Psalmi, quot Hymni, Fratribus Fidelibus antiquitus perscripti, qui Christum Verbum Dei, verum esse Deum concentu quodam concelebrant? Cùm ergo à tot annorum spatio, doctrina Ecclesiastica verè annunciata fuerit: quomodo fieri potest, vt illi Patres, qui ad Victorem vsque vitam produxerunt; sic, vt isti asserunt, prædicauerint? aut quomodo non illos pudet, hæc Victori tam falsò obiectare, præsertim cùm notissimum sit, à Victore Theodotum, Coriarium, (qui primus Christum solum hominem dicebat) ducem huius impiæ & execrandæ à fide defectionis, Christum Deum pernegantis, Christiana communione exclusum esse. Quodsi Victor, eadem cum illis sentire visus fuisset, (vt eorum detestanda, asserit calumnia) qua ratione inductus, Theodotum huius erroris inuentorem ab Ecclesia eijcere in animum induxerit? Hæc Eusebius, ex quodam Scriptore Tertij seculi: ex quo (vt dixi) elucet genius Triadomachorum. Semper illi, etsi toto orbe contradicente, suam hæresim, dogma esse Apostolicum, (vti nunc faciunt Socinistæ, etiam calumnias suorum Maiorum imitari soliti) iactauerunt. Quæ ideo attuli, quod inter suos Maiores, Arthemonem & Theodotum, recensere non erubuerit Moschorouius: Samosatheno glorietur Socinus & Smalcius: quorum tamen eos meritò pudere debuisset. Nam Theodotum fuisse perfidum Apostatam, Christique abnegationem; omnes qui de eo scripsere testantur: Samosathenum autem Synodus Antiochen. duplex, hæresis & blasphemiæ conuicit: & Episcopatu amouit: quod ipsum Synodus Romana sub Dionysio Papa collecta confirmauit. Mira verò impudentia Socini est: quod in Responso primo, Volano dato, fol: 48. dicere ausus sit: *Samosathenum & Photinum, & alios, qui IESVM Christum (vt nos, inquit, facimus) antequam ex* MARIA *nasceretur, non extitisse senserunt; per multos discipulos fecisse: qui in aliquibus regionibus, numero & authoritate Christum profitentibus, superiores fuerint.* Qui enim isti Historici, ex quibus id constet? quæ regiones, in quibus tam numerosi cœtus Samosathenistarum, vel Photinianorum fuerint: vt Catholicis Ecclesijs, superiores fuerint? Qui Scriptores, hanc doctrinam, quod Christus ante suum è Virgine ortum non extiterit, literis consignarunt? fuitne aliquis, qui pro eo dogmate, vel vnicam sanguinis guttulam effuderit? Christum, fuisse genitum ante secula, Filium Dei, testati sunt, citati à me SS. Patres: pro eadem veritatem illi ipsi, quorum testimonia adduxi, graues cruciatus, tormenta, mortem perpessi sunt. Pleni sunt Fasti Martyrum Sanctissimæ Trinitatis confessione. Ostendant Socinistæ, qui, præter eos hæresiarchas, quos Primitiua Ecclesia execrata est, Ebionem, Arthemam, Theodotum, Samosathenum, Photinum, Christum

ſtum eſſe Verbum Deum, ante ſecula genitum ex Patre negauerint? Reſpondeant S. Ignatio: in Epiſtola ad Tharſenſes quærenti: *Quomodo hic merus homo, & qui vt eſſet, ex MARIA cepiſſet exordium* (quod vos noui Ebionitæ, Theodotiani, Samoſathaniſtæ dicitis:) *& non potiùs Deus Verbum: & vnigenitus Filius: qui apud Salomonem dicebat:* Dominus creauit me initium viarum ſuarum, ante ſæcula fundauit me. *Quomodo merus homo hic, qui dicebat:* Antequam fieret Abraham, ego ſum; *Et:* Glorificabit me gloria, quam habui, antequam eſſet mundus: *Et:* Quando faciebat cœlos, vnà ipſi aderam, coaptans ſingula, &c. *Sed de his hactenus.*

III.

PRoximi temporibus Apoſtolicis fuêre Sabelliani, Nòëtiani, Praxeani, qui vnam ſolam in Deo Perſonam credebant: dicebantque vnam eandemque Perſonam eſſe Patrem, Verbum, & Spiritum Sanctum. Contra eos ſcripſere S. Ignatius in Epiſtola ad Tharſenſes. *Quod Chriſtus* (inquit) *non ſit ſuper omnia Deus & Pater, ſed Filius ipſius dicit: Aſcendo ad Patrem meũ, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum.* Prolixius eam hæreſim impugnarunt; Tertullianus, Nouatianus, Origenes, Dionyſius, Alexandrinus: vt poſteriores prætercam: Horum ſe aſſeclas negare nequeunt Sociniſtæ: vt pote, qui pertinacißimè tuentur vnam ſolum in Deo eſſe Perſonam Dei Patris: & qui ſimpliciter, τον λογον, & Spiritum Sanctum eſſe Perſonas inficiantur.

IV.

PRoximi item temporibus Apoſtolicis fuere: qui impoßibilem cenſuere Verbi Incarnationem. Eorum mentionem facit S. Iuſtinus, in Dialogo cum Tryphone. Cùm enim S. Martyr dixiſſet Deum Abrahæ is eſſe hominem factum; idque Trypho dixiſſet, rem impoßibilem; immò ſtultam; reſpondit Sanctus: *Scio Orationem meam, mirabilem videri vobis; qui ea, quæ Dei ſunt, nec intelligere, nec facere voluiſtis: ſed ea, quæ Doctores veſtri tradunt.* Tum inferius: *Sunt nonnulli è genere noſtro profitentes IESVM Chriſtum eſſe: ſed hominem, ab hominibus genitum eſſe affirmant: quibus ego non aſſentior: nec plurimi: qui in eadem mecum ſunt ſententia, dixerint: cùm præſertim non humanis rationibus, iuſſi ſimus à Chriſto ipſo credere: ſed Beatorum Prophetarum ſcripturis, quas & ipſe docuit.* Tum Trypho: *Mihi probabilior eorum videtur Oratio: qui aſſerunt eum hominem natum, per electionem inauguratum, & vnctione Chriſtum factum eſſe.* Deinde cùm rurſus Thrypho eandem Crambem repetijſſet; dicens: *Rem incredibilem dicere conaris: Deum voluiſſe hominem fieri.* Reſpondit Sanctus: *Si hoc humanis rationibus docere conarer,*

audire

audire iam me non deberetis. Nunc cùm Scripturas istas tam multas, sæpissimè proferens, vos rogem; vt eas intelligatis: duricordes ad mentem voluntatemq́; Dei intelligendam estis: In quo si permanere vultis; ego nihil capiam detrimenti, eandemq́; quam ante hoc colloquium tenui sententiam, referens, discedam. Hactenus ille.

En habetis Domini Socinistæ, Primitiuæ Ecclesiæ Fidem, & sub eadem exortas hæreses. Christum esse Verbum Deum, genitum ante secula, nouissimis temporibus hominem factum, euidentissimis SS. Patrum testimonijs probaui. Nunc vnicum addo. Incarnationem, S. Irenæo adeò fuisse certum fidei mysterium; vt illud Symbolo Apostolico inseruerit l. 1. c. 2. dicens: *Ecclesia per vniuersum Orbem, vsq; ad fines terræ seminata, ab Apostolis & Discipulis eorum, eam accepit fidem: quæ est vnum Deum Patrem omnipotentem, &c. Et in vnum IESVM Christum, Filium Dei, incarnatum pro nostra salute, &c.* Hoc ipsum fecisse Tertullianum, supra dixi.

Aut ergo SS. Patres, Clemens Romanus, Irenæus, Iustinus, Tertullianus, & alij, malè intellexerunt Symboli Apostolici sensum: aut vestri Ministri: qui Incarnationis Mysterium plurimis contumelijs conuicijsque insectantur. Vtri fide digniores sint; vos videritis. Ego sanè nihil aduertere possum: cur Samosathenum præferre debeam, Sancto Gregorio Thaumaturgo, S. Dionysio Papæ, & Dionysio Alexandrino: non video item; cum Theodoto, Arthemonique, S. Irenæum, & S. Theophilum, S. Victorem posthabeam: cur Ebionem S. Ioanni Apostolo, S. Clementi Romano, S. Ignatio anteponam. Cur denique cum Tryphone Iudæo, & nonnullis alijs, (etsi eos G. D. Ionas nescio qua fide, plures fuisse Catholicis asseruerit) Incarnationem, censere malim impossibilem; quàm cum S. Iustino Martyre plurimisque (vt ipse testatur) eiusdem sententiæ, eam credere & venerari. Stabo in die nouissimo securus in Comitatu tot SS. Patrum, quos allegaui vobis: an par securitas sit, staturis in comitatu Theodoti, abnegatoris Christi; Ebionis blasphemi; Samosatheni hominis (vti Synodus secunda Antiochena loquitur) auarissimi & obscœnissimi, Tryphonis Iudæi, cogitate: & dum licet, consulite vobis: prospicite æternitati. Deliberate, num cum Tryphone, Iudaizare vos præstet, quam cum S. Iustino Verbum Incarnatum adorare. Scripturis vos inniti ne quidem gloriamini. Fallimini, magis quam dici possit. vel vnicum, è SS. Patribus S. Ignatium legite: & Socinisticarum, vos, S. Scripturæ glossarum, pudebit. Ita ille S. Martyr verba illa; *Antequam Abraham fieret, ego sum,* interpretatur, ad Magn. & ad Tars. vti nos. Ita illa; *Dominus possedit me initium viarum*

suarum,

suarum, interpretatur, ad Tarſ. vti nos. Ita illa; *Verbum Caro factum eſt*, ſumit ad Philip. ad Trall. ad Smyrnen. ad Epheſios, vti nos. S. Dionyſius, S. Clemens, S. Iuſtinus, S. Irenæus, & alij omnes, in ſenſu S. Scripturarum prælucent nobis. Non in vanitate ſenſus proprij ambulamus : propriam interpretationem non ſequimur. Sequimur vbique eos Magiſtros : quorum Doctrinam, Deus, Orbis Chriſtiani aſſenſu, multiſque ſubinde miraculis honorauit. Eoſdem ego Duces, vobis, Domini Sociniſtæ omnibus; quorum animas in viſceribus Domini IESV Chriſti intimè complector; commendo. Non habetis profectò; cur eos, quorum adduxi teſtimonia infra Socinos, Smalcios, Wolkelios, & antiquiores Ebiones, Theodotos, Samoſathenos, Tryphones deprimatis. Nec vos ita animi elati cenſeo, vt vos in in Scripturarum intelligentia, SS. Clementi, Ignatio, Dionyſio, Iuſtino, Irenæo, Tertulliano, Origeni, Gregorijs, immò & Athanaſio, Baſilio, Cyrillis, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Chryſoſtomo præferatis. Horum verò ſequi ſententiam ſi dignabimini; facilè ad cognitionem veritatis, & adorationem, SANCTISSIMÆ TRINITATIS adducemini. Quod vobis tribuat benigniſsimus Dominus, & Deus noſter
IESVS CHRISTVS: interceſsione Sanctiſsimæ MATRIS ſuæ, aliorumque Sanctorum cœlitum, inductus, Amen.